



Danielis Berga s. m. f.  
Fran. Popeli  
d. 22. Oct. 1801.  
~~Giov. Dossi~~  
Alessandri Thelys  
Cafini d.o 1794.  
Emerici Coo  
G. Canti Opere <sup>m. f.</sup>  
Imp. in Successione N. Ricordi  
3. Apr. 1827. A. N. 6

[Severini, Joann.

Conspectus historiae hungaricae in usus prae-  
sertim iuuentutis adorvatae. Pars posterior,  
res gestas regum omnium, ad annum usque  
1775 complexa. Editio altera.  
Posonii & Lassoviae. 1778. Literis Fr. Ang? Sataka.]

Pars I., II.

Címlap kiámpzik!

1 fl.

Carli Gold



## LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

A V C T O R.



**N**ondum barbae ita occupaverat Hungariam, quod multi, non solum inter nos, sed etiam omnino laude rursum resurgere coepit. Enati larum, praeceteri paucos, ante renatas ossumus, qui vetera compositissent templa, quae-  
so, gentes, facile repereris, siuos non patarentur manes: tamen, ubi, Augusti Hungarorum Regis prouidentia, liberaiores efflorescere coeperunt, multo majore numero enati sunt Annalium patriae historiarumque conditores, quam ut intra exiguos praefationis limites iis, plena quasi manu, obiicere possemus.

## P R A E F A T I O

qui nobis de socordia, in rerum patriae studio, exprobant. Ex multis suffecerit NICOLAVM duntaxat ISTVANFFIVM, et Comitem PETRVM DE REVA memorasse, illum, dum superaret, Propalatinum Regni, hunc Custodem sacrae Coronae Hungaricae. Quis est rerum omnium ita inscius, ut horum volumina, vel ignoret, vel non suspiciat?

Nec tamen heic, seu culpam temporum, seu indiligentiam litterarum, barbaris saeculis, cunctis fere Europae nationibus communem, inter nos tres quoque diffiteri possumus. Sane quidem, si quemadmodum hi duumiri, Thurociusque, cum maiores, tum posteri, res gestas patriae memoriae prodidissent: vti obtrectatione carere, sic Europeae civilitet genti facile anteferri possemus laude historiarum. Quodsi, vt olim Thucidides, Polybius, Caesar, Lucanus, Sallustius, Herodianus, alii, domi militiaeque clarissimi viri, historiam sui temporis superiorisque scriptam reliquerunt, nostri quoque sibi visa, adprimeque nota ad posteritatem perscribere veluisserent: sane haberemus, quo prae caeteris gloriaremur; nec esset, cur reclusa nobis, auara documentorum scrinia quereremur. Sed calamitas haec, omni quaerimonia acerbior, apud plerosque omnes accidit, vt equidem opinor, non vna eaque leuidensi de causa. Principes viri infra spum dignitatem, et

V E T V S.

curas negotiorum reipublicae gratia susceptorum, hoc genus lucubrationum collocabant: malebantque semper agere res omni encomio dignas, quam scribere. Alii dum praeteritorum memoriam sancte colerent: praesentium, vt pote quae vniuersis obuia essent, minorem, quam sera nunc desiderat posteritas, habuere curam; videnturque de se, quam qui post se victuri essent, magis solliciti. At credibile etiam videtur, plerosque inuidiam, liuidam virtutis comitem, quam animo taciti praeceperant, a conatu scribendi, in limine extemplo auocasse. Nec enim vnuquam res hominum tam praeclare fuerant comparatae: quin maleuoli, de fama existimationeque bene meritorum ciuium detraherent. Xenophon Socratus, et L. Annaeus Seneca, vt plurimum rectione supersedeam, non minus acerbe, quam iuste, suo iam tempore, de infami adeo malevolentia conquesti sunt; quos tamen nunc, vbi viventium atra bilis desaeviit, laudibus ad coelum euehimus. Scilicet ferebant iam olim indigne, et obtrectabant, alii, quod non soli essent, quorum laus vnicarum foret non nihil audere, et nomina apud vulgum profiteri: alii, quod nihil ad memoriam insigne seu ingenio, seu inertia, seu qua demum cunque re impediti confidere poterant. At hic merito cum Poeta exclamaueris: *Quis furor, o ciues, quae tanta licentia mentis!*

## P R A E F A T I O

Nec tamen haec omnis aetatis inuidia obstitit : quominus velut in aliis gentibus , sic inter nostros quoque viri scribendarum rerum patriae gloria inclarescerent, et historiam pro virili illustrarent. In his, ne prorsus cunctos silentio inuolvam, post Antonium Bonfinium, et Petrum Ranzanum, Italos, Io. THVROCIVS, FRANCISCVS KAZIVS, MATTHIAS BEL, SAMVEL TIMON, Ios. INNOCENT. DESERICIVS, et qui nunc diplomatibus inprimis, rem cum laude confidere adlaborant, GEORGIVS PRAY, et STEPHANVS KAPRINAI, excellunt. Atque hi quidem viri, pro sua ampla et insigni eruditione, prolixius res Hungaricas persequi insituerant : multo breuiores fuere Comes NADASDI, aut si mauis, FRANCISCVS LANCZMAR, Io. NADANY, LADISL. THVROCIVS, CHRISTOPHORVS PARSCHITIVS, SIGISMUNDVS PODLVSANI, caeteri.

Sat bene multos itaque Hungaria nostra Scriptores tam eos, qui vasta commentaria ediderant, quam qui prolixius ab aliis dicta mitterent in compendium, habere videtur, nec indigere omnino amplius noua historiae epitome. Evidem dum Conspectum huncce in vulgus edo, malim timidus, quam imprudens excusator opusculi mei haberi. Nemini vel de ingenii, vel de industriae laude detractum velim ; yniuersos colo, et opera eorum

me

## V E T V S.

me profecisse fateor : existimo attamen, me nihil  
in forum propulsorum, quod non tempora nostra  
expeterent, et ciuium, quos amor rerum patriae  
incessit, studium. Ignotum inter litteratos potest  
esse nemini, memoria nostra, postquam viri eru-  
diti, ex documentis veteribus, veritates historicas  
eruere, inueteratos autem errores configere occ-  
perunt, aliam prorsus faciem, ac patrum nostro-  
rum memoria fuit, historiam induisse; vt pauci  
sint, quos publicorum iam non pudeat poeniteat-  
que errorum. Proinde ad utilitatem communem  
pertinere mihi visum est : si in usus et studiofae  
iuentutis, et in tabula velut, ob negotiorum ma-  
gitudinem, nostra conspicere volentium, hancce  
conscripterem noui operis epitomam. Secutus sum,  
ne quem lateat, Annales Doctissimi Viri; et lau-  
de nostra majoris, GEORGII PRAY, si pauca, quae  
duce GELASIO DOBNERO Bohemicae historiae, nostro  
hoc tempore, erudito scriptore, vel emendaueram,  
vel adieceram, exceperis : illudque tanto libentius  
feci, quod mea quidem sententia, nemo adhuc  
res Hungaricas majori adcuratione ediderit, et a  
nugis separauerit. Tantum vero abest hac breuita-  
te mea, laudato operi noquerim : vt contra, quo  
illud, p[re]a sua magnitudine, peruenire huicdum  
non poterat, aditum, exiguae molis opusculo, vt  
eo, opera nostra non indigeat, parare intenderim.

## PRAEFATIO VETVS.


Nam qui sitim in cognoscendis rebus Hungariae extinguere, et nostra fors prolixius exposita intellegere cupit, scriptorem hunc adeat, necesse est.

Genus scripturae forsitan erit, quod super haec vindicem magis, an excusem dubito. Equidem veterum dictione, quam ex ingenio efficta vti in praesens malueram, eminus conspecturus, quid plerique hoc de conatu meo sint iudicaturi. Antequam arguar, inutile et superuacaneum puto responderi. Nunc id solummodo adfirmarim, sermonis Latini caussa, quod ad dexteritatem in persequenda veritate attinet, ne transuersum quidem, ut aiunt, vnguem discessisse.

Quodsi iam L. B. haec tibi minus displicuerint, dabo si DEVS OPT. MAX. ita iusserit, operam, quo altera quoque Conspectus nostri Hungarici Pars lucem adspiciat publicam, qua olim Tibi possem gratificari. Sin autem receperis, te nauis haec, et feliori Minerua diduceturum, equidem perlbens cedam prouincia, herbamque gratulabundus porrigam. Vale ! Dabam Schemnicii, vrbe Hungariae montana, Idibus Augusti, Anno O. R. M D CCLXVIII.

---

PRAE-



## P R A E F A T I O N O V A.

**O**ffertur tibi, Lector benevolè, altera Conspectus Historiae Hungaricae editio, si externam praetereas formam, fere nihil immutati; id quod non tam voluntate mea, atque amicorum suasu factum esse noueris. Accessit operarum festinatio, quae me impediuit, quominus in prologo partis posterioris olim dicta, proemio prioris, ut oportuisset, infererem, et Chronologiam nonnihil emendarem. Quod ad hanc attinet, docueram in Pannonia mea illustrata Hunnos nonnisi saeculo quinto ineunte, Avares vero anno 603. Hungaros 900. Panniarum potitos fuisse, secus ac in Conspectu hoc, alias sequutus, posueram, quae vtique immutari optauissim. Iuit quidem duo priora puncta oppugnatum, Vir de patriae historia optime meritus P. PRAY Dissertatione X. in suos Annales scripta. Nequedum tamen de sen-

## P R A E F A T I O

tentia, quam olim animo conceperam, decidere necesse putabam. Hujus ut rationes patescant, facere non potui, quin Scriptori Eruditissimo, quem ego, ut saepe testatus, maximi facio, hoc loco, ea, qua decet animi modestia respondeam.

Primum meum axioma hoc est : *Hunni, non anno 377.* ut ex Marcellino Comite adseritur, *sed Honorio atque Arcadio Imperatoribus, circa 403. annum Pannoniam sunt potiti.* Demonstravi id primo, quod scriptores illorum temporum, nominatim Ammianus Marcellinus, tametsi res Hunnicas, eorumque cum Romanis et Graecis proelia, sic satis prolixè exponunt, et Pannoniarum saepius meminerunt : nusquam tamen has ab Hunnis, illa aetate, occupatas, rem profecto maximi momenti, prodiderunt memoriae ; cum tamen modus et ordo narrationis id non moneret solum, sed cogeret etiam. Sed ostendi quoque secundo anno 377. et seqq. Pannoniam a Romanis Imperatoribus tentam, quando et urbes nobilissimas, in his Sirmium, caput universae prouinciae, vbi Gratianus Comitia celebrarat, et Theodosium in societatem legerat imperii, possidebant ; et idem Gratianus anno 378. Valenti opem, aduersum Gothos et Hunnos latus, praemissis terrestri itinere impedimentis, a Rheno, ex hodierna Suevia, cum expedita manu, secundo Danubio, in Thraciam (Moesiam) deuenit ; et Ausonius scribit o-

## N O V A.

ram Danubii tot millibus barbarorum praetexi, flu-  
men vero hoc totum esse sub ditione Romana, caet.

Excipit hic Doctiss. P. PRAY in memorata Dis-  
sertatione primo : Marcellinum , quem ego maxime  
citabam , multa de industria omisisse , cuiusmodi il-  
lad est : quod Europi , et in hac Illyricum , et in  
Illyrico Pannoniae , vt ex ecloga Seueri Sancti En-  
deleichi Rhetoris aequui patet , epidemica lue , non  
minori , quam hostium esse solet , strage , anno 376.  
correpta , nec alia salutis via , quam crucis signum  
fuit . Si hoc , arguit porro , ut plura alia , tacuit Am-  
mianus , potuit itidem Paunonias ab Hunnis occupatas  
premere , aut in ea operis parte , qua intercidit , vt  
certe aliqua eius interciderant , meminisse . Haec tenus  
ille . At non est mirandum Marcellinum , deorum cul-  
tui maxime deditum , epidemicam Europae hemi-  
silentio involuisse , quodsi Christianorum vocibus fere-  
batur , ei signo crucis medelam adlatam fuisse . Nee  
tamen contrarium adserit , sicut de Pannonia ab Hun-  
nis , tempore Valentis et Gratiani nondum occupata .  
Neque etiam liquido constat , num lues haec omnino  
tantopere ubique locorum cumprimis in Pannonia , sae-  
vierit ; vt absque detimento rerum memorabilium ,  
sileri non potuisset . Ecloga saltem Endelechii Rheto-  
ris et Poetae Aquinatis , *de mortibus boum* scripta ,  
non videtur id euincere posse . D. vero Ambrosius  
Paraenesin magis , aut potius Exegefin , quam histo-  
riam

## P R A E F A T I O

riam scribere habuit in animo; cuius praeterea verba, de sola Dalmatia, videntur accipi debere, in quam, ea tempestate, auctore Marcellino, Hunni tristem fecere excursionem. Profecto Ammianus ingenuus: *Veritatem*, inquit, *nunquam sciens, ausus sum corrumpere.* Nolim hic Tillemonito, ut is Marcellino fecit, multa opponere. An interim in ea parte operis sui Ammianus, quae intercidit, Pannonias occupatas ab Hunnis scripserit, videtur admodum improbabile; cum in locis, quibus maxime potuit, adtulit penitus nihil.

Atqui, opponitur secundo, in ipso Ammiano aliquod occupatae ab Hunnis Pannoniae vestigium, tametsi obscurum id sit, reperitur. Ait enim: *Dum aguntur haec in externis; nouos, maioresque solitis casus versare gentes arctoas, rumores terribiles diffuderunt: per omne, quicquid ad Pontum a Marcomannis praetenditur, et Quadis, multitudinem barbararum abditarum nationum, vi subdita sedibus pulsam, circa flumen Istrum vagari, cum caratibus suis disseminantes, quos deinde in Romanum solum translatos adseuerat.* Ex quibus, hac opinione, colligitur, colonos veteres citerioris Hungariae, Transilvaniae, caet. ab Hunnis suisse pulsos, ab Romanis in Pannoniam receptos; et ab hostibus, qui eosdem persequebantur, ea occasione, Pannonias, viris armatis exanunitas, prout Marcellinus Comes docet, sub

pote-

## N O V A.

potestatem redactas; licet id Ammianus, sicuti occupationem Cisdanubianaे Hungariae premat. Si ista quidem, eo modo, sicut dicuntur, sese haberent, caderem utique causa. At salua res est. Namque primo populi barbari, a Romanis suscepiti, neutquam erant coloni Hodiernaе Hungariae citerioris, Transiluaniae, Valachiae, nedum Moldauiae; verum regionis, quam nunc Poloniа adpellamus. Marcellinus etenim de Gothis, in Moldauia, ab Hunnico exercitu victis, locutus, arctoas, seu boreales hasce gentes nominat; quem Valachia profecto, Transiluania, et Hungaria citerior, si situm regionis spectes, a Moldauia, non ad aquilonem, sed ad occasum porriguntur. Nationes praeterea illae barbarae, quarum Scriptor meminit, a Marcomannis, et Quadis, ad pontum praetendebantur. Cum vero Quados in Cis danubiana Hungaria, ad Granum inde a Moraua amne; Marcomannos autem, in Morauia hodierna, eiusque extra limites, olim coluisse, dubitari non potest; consequitur Marcellini arctoas gentes, ad pontum diffusas, non alias, quam Polonicas esse.

Secundo populi, quos Ammianus dicit arctoos, a Romanis, non in Pannoniam, ut minus bene colligitur; sed in Thraciam, Moesiam dixeris, sunt transvecti, quod noster aperte prodidit. Qui proinde hinc deduces Hunnos eorum Pannonias intraisse, vel saltem citeriorem Hungariam occupasse. Evidem iam olim

indi-

## P A E F A T I O

indicani, vel ipsum Attilam Jazyges, Sarmatas, et Gepidas, utrosque intra Granum et Tibiscum colentes, Quados et Marcomannos adeo sedibus suis haud expulisse; ut contra adsciuisse in societatem bellorum.

Verum obiicitur tertio, si Gratianus cum maximo vitae periculo Lentientes (accolas Rheni) refractarios petiit, vicitque: cur idem, cum expeditiori militum manu, nauibus affatim instructus, per medios hostes, secundo Danubio laborantibus Romanis, succurrere formidaret? Quantopere haec cohaereant, videamus. Si quod dicitur adsumamus oportebat certe aut Hunnos Romanis, ab hodierna, ut praedixi Suevia, in Bulgaria descendenteribus, quo illic Gothos, Alanos & Hunnos opprimerent sponte, vel metu, liberum per Pannoniam transitum permisisse; impedimenta etiam, terrestri itinere, iam post debellatos Lentientes, a Gratiano praemissa erant; quod vtrumque ob feritatem gentis, et praedae cupidinem, incredibile prorsus habetur: aut vero Hunnos acie superatos; id quod profecto vix praeteriisset Ammianus, qui carptum ab Alanis, Hunnorum sociis, Gratiani agmen, ut primum in limites suos venerat, sat clare ostendit. Imperator praeterea cum Bonnoniam urbem Pannoniae, tum Sirmium, ut iam dixi, caput provinciae, nullo obsidente introiuit.

At excipitur quarto, poterant Hunni pascuis et dio contenti, Pannonias, maximam partem, quin urbes sui iuris facerent, anno 377. ut Marcellinus co-

## N O V . A.

mes habet, occupare. Respondeo. Quanta Comiti Marcellino hac in re tribuenda sit fides, existimo satis me in Pannonia mea declarasse. Ut vero Romani, Hannis inimicissimi, vrbes et oppida Pannoniae; hi contra vicos et agros possiderent; profecto ab omni abhorret verisimilitudine. Oportuisset enim Romanas ciuitates, quasi perpetua obsidione barbarae multitudinis clausas esse; nec, unde se, suaque pecora alerent, habuisse: aut certe, ni paci inferuendum putabant, perpetua gessisse bella, quae tamen nusquam legeris, debuissent semper hostes a muris remouere.

Haec de Pannonia ab Hunnis anno 377. nondum occupata. Quod ad Auares attinet, hos itidem ante Phocae imperium, annum circiter 603. prouinciam hancce in suam redigisse potestatem voco in dubium; licet id ipsum ad annum 568. plurimi viri docti assignant, auctoritate nixi Pauli Diaconi, qui eo tempore Longobardos Pannionam Auaribus cessisse ait. Evidem ad defendendum sententiam meam arguo pri-  
mum Iustinum II. haud permisisse, vt prouinciam a Iustiniano Longobardis, quod ex Procopio patet, concessam, Auares sibi inimicissimi possiderent, vi-  
cisse ea ex re proelio: dein Sirmium, vrbe principem ab Romanis tentam, nec nisi multo post, dolo malo, interceptam: tum imperii limitem gen-  
tem inter vtramque Istrum constitutum, Auaresque in sola Dacia egisse: Priscum denique Auarum du-  
cem,

## P R A E F A T I O

cem, cis Danubium, in hodierna Valachia, citioreque Hungaria, ad internetionem persequentem, nihil hostilis ex Pannonia timuisse; neque hunc eo ad salutem, quod sine dubio fecisset, si regio sibi paruisset, sed ad Sarmaticas nationes confusisse; id quod prolixe in Pannonia mea diduxi et confirmavi.

Peti his se putauit Cl. P. PRAY, tametsi in tuto sua fore censeat, eo, quod anno 568. occupatam quidem ab Auaribus Pannionam, maximam tamen eorum partem, trans Istrum in pristinis suis sedibus (Dacia) restituisse docuerit; occupari enim potuisse, quin totam infederint: necesse quippe non esse, ut victores, quas in ditionem redigunt provincias, aut, qui has ex pacto iuris sui faciunt, semper gentis suae populo impleant; satis esse aliquos praefidii caussa isthic relinquare.

Vt istud quidem, quod ultimo dicitur, non ambigo: ita Pannionam ab Auaribus, ad annum 568. quoquo modo infessam, ob allata in medium argumenta, admittere nequeo. At enim uero propriis hic ego petor telis. Principe enim loco obiicitur, quodsi anno 569. bellum inter Romanos et Auares, Pannoniae caussa, ut ego docui, exarsit, necesse est, adfirmare, priore anno Auares regione potitos. At equidem existimari

haud

## N O V A.

hand opus esse hac adffirmatione , quum cauſſae belli ſatis erat , ſi hostes prouinciam , vel leuibus excursionibus , ſicut olim Jazyges Sarmatae vexabant , vel certe piae ſe ferebant , eam ſub ſuam redigere velle potestatem . Verum quaerit , vt opinionem ſuam ſtabilitat , meam contra enertat , Vir eruditus : An Romani bellum Auaribus obinoturi erant ? quod illi Pannoniam ab excessu Longobardorum occupare cogitarant , qui prius ſatis formidolose , aut , ſi mauis , timide cum Auaribus signa contulere . Atqui idipſum ex Chronico Biſlariensi , Corippo et Euagrio ſat clare demonstratum eſſe arbitror . Id vero cum additur : Sirmium ſerius ab Auaribus dolo ereptum eſſe , id vnum efficit ; Pannoniam quidem Auares , non item vrbes praefidio munitas in principio occupasse , existimari arbitrario poni . Paulo ante dicebatur Hunnos . pecorum curae intentos , non vrbibus , ſed aruis inhiatſe : hic contra Auares , qui tamen aequa ac Hunni , paſtoritiam vitam ut Simocatta loquitur , agebant , ſolis fere vrbibus contentos voluiffe . At quin Sirmium , caput Pannoniae nonnisi anno 570 . per fraudem ceperunt , et Singidonem anno 52 . peruerterunt . Dubitari hic praeterea potest , num Auares , in Pannonia , praeter Sirmium , vrbes habuerint , coluerintque ? Hunnos Attilanos vastaffe magis , quam aedificasse oppida , vix quisquam ne-

## P R A E F A T I O

gauerit. Nonne hi Acincum martiam, Bregetium, Bonnoniam, Sisciam, Mursiam, Sabriam, vrbesque alias ab Romanis constitutas deleuerunt? Franci profecto, Carolo M. Imperatore, solus Hringos in Pannonia deprehenderunt, quas Longobardi campos (viua sepe et vallo munitos) appellabant.

Porro verba, quae attuli, Targitii Auari, Sirmium, nomine Chagani, ab Iustino II. reperientis aduersus me retorquentur; siquidem vrbis tradendae Gepidarum, eorumque in Pannonia degentium evastationem promisisse videtur; ex quo prono fere alueo fluere, Pannonias, iam ante annum 574. quo scilicet haec legatio missa erat, Auaros possedisse. Ut quid hac in re veri insit, facilius intelligatur, iuuabit postulata Targitii, Auarum legati, verbis Menandri Protectoris propnere. Hic itaque: *A Romanis*, inquit, *sibi tradi Sirmium oppidum*, tanquam quod esset sua priuata et domestica possessio; et, quia ab ipso Gepidarum res essent euersae, neque quicquam praeteritis annis, ex pecuniis, quas Iustinianus Hunnis (Auaribus) quotannis pendebat, acceperant, omnes simul perjolui, & ita in posterum earum annuas collationes valere, et eas Romanos praestare flagitabat. Ne quid temere dixerim, fateor, nihil me hic eorum, quae causam meam grauarent, videre; plurima contra, quae

## N O V A.

eam alleuant. Absit a me, vt Gepidas in Pannonia sedes habuisse eam inficias: has etenim eis olim, vt citeriorem Hungariam, a Tibisco ad Granum praeteream, in Pannonia Interamnana, Daciaque Ripensi liberaliter concesseram. Quae igitur ex incerto auctore de conuerione Carantanorum adferuntur, exceptis chronologicis sphalmatibus facile concedo. Sed num ob Gepidas, in Pannonia, ab Auaris viatos Targitius Sirmium reddi flagitauerit, id est, quod vehementer dubito.

Atqui id urget: inquies, Targitius, *quia ab Chagano res Gepidarum essent euersae*, et eorum quidem, qui in Pannonia habebant: cur enim Dacicorum titulo Sirmium veluti domesticam possessionem Chaganus Auarum repeteret? ad quos neque iuris, neque viciniae titulo ea vrbs vñquam pertinuit; bene autem ad illos Gepidas, qui in Pannonia erant, quod olim Gothis conjuncti, Syrmium, a collapsis Hunnorum rebus possedere. Quia rationes exiguntur, eas dicam breuiter, quae eo tendent, ut ostendam, Auares ob Gepidas in Dacia, haud vero in Pannonia viatos, Sirmium repetiisse.

Primum nouimus ex Menandro Targitiuit pecunias ea de caussa postulasse, qnod eas Romani, si mauis Graeci, ex pacto, ob Cutriguros et Utiguros ab Auaris deuictos, promiserant se fo-

## P R A E F A T I O

Iuturos. Sicut proinde, ob hos populos, iam olim, haud procul a Maeotide, rogatu Iustiniani debellatos, tributum exigebant : quin, amabo, pariter ob Gepidas in Dacia, proximiore iam tempore, ad incitas redactos, Sirmium gentis huius Regum sedem, sibi tradi postularent. Facit ad confirmandum haec, quod ipse PRAYUS noster, Dissertatione prima §. i. memorat; ( Menander ) Targitaum Anarum legatum ad Iustinianum Imperatorem venisse scribit, ut *Sirmium* sibi dedi peteret, eum rationem postulati his verbis reddidisse inducit : *Nequae quicquam praeteritis annis ex pecuniis, quas Justinus.* I. Hunnis ( Auaribus ) quotannis pendebat, acceperant. Vides hinc Auares Sirmium iam ab Iustiniano flagitasse; adeoque non ita multo post Gepidas, in Dacia ope Longobardorum stratos.

Secundo Gepidae, si qui resistere, vel contra arma ferre ausi fuissent, ab anno 553. ad an. 574. ab Auaribus vexari non poterant, multo minus debellari, quin offenderentur Romani, quorum illi sub tutela erant, foederatique. Quis enim ignorat, Gepidas Pannonicos ab Iustino II. si non subactos, certe ita benevolentia delinitos fuisse, vt se ei, Sirmiumque traderent; quo facto Imperatorem cognomentum *Gepidici* consequutum legimus. Qua itaque fronte, ob horum res euersas Auari Sirmium repetere potuissent.

Nec

N O V A.

Nec tertio verisimile censetur Gepidas a Longobardis et Auaribus, proelio Dacico, anno 553. infractos et ad internetionem, caesos, sustinuisse Auaribus, rerum gestarum magnitudine multo notissimis, causam belli, suique interitus praebere. De hac clade ita Diaconus : *Gepidarum*, ait, *genus ita diminutum est, vt ex illo iam tempore ultra non habuerint Regem, sed vniuersi, qui superesse bello poterant, vsque hodie Hunnis (Auaribus) eorum patriam possidentibus, duro imperio subiecti gemant.* Dices, haec Diaconum de Gepidis Dacicis, haud vero de Pannonicis scripsisse. Certe quidem de Gepidarum genere; qui vni, non duabus, alteri in Dacia, alteri in Pannonia, Regibus parebant. Pannonicci adhaec, qui sub tutela Romanorum non erant, a Longobardis, hostibus veteranis, ad annum usque 568. sat male tractabantur. Et quis tandem, quaeso, Gepidas ab Auaribus in Pannonia oppressos memorauit vñquam? Quocirca si Targitius causam repetendi Sirmii, et non potius dandi promissi tributi; quod ipse Menander innuere videtur, a rebus Gepidarum opera Principis sui eversis petit: non tam ad Pannios, quam ad Dacos Gepidas, quorum Reges olim Sirmii habitabant; ob eamque rem Theophani et Cedreno Sirmienses adpellati, respexisse, vti iam ex haetenus allatis liquet, vere creditur. At repones: Auarem *Sirmium veluti priuatam et do-*

## P R A E F A T I O

*mesticam suam possessionem flagitasse ; tenuisse itaque iam ante videtur. Neutquam ; verum quicquid vel Hunnorum, vel in primis Gepidarum ubiuis erat, suum esse interpretabatur ; quaerebat super haec omni studio materiam aliquam, et occasionem Romanas prouincias denuo affligendi.*

Supereft, vt ad extrema, quae opponi mihi video, paucis responsum dem : tametsi hic praeter negationem rationum, mearum, nihil fere deprehendam : Auares enim in Dacia maximas habuiffe copias adeo nunquam ibam inficias, vt contra in hac ferre sola regione eos ante Phocae imperium coluisse adfirmarim semper. Quod additur, Auares timuiffe Turcorum, a quibus profugerant, impetum, ideoque praecipuas vires in Dacia collectas tenuiffe, pro me sane militat, vtpote qui, hac in re, iam olim quaeritabam ; Num Auares, omni satagerint studio, rerum Pannoniae, cum haec fibi a Longobardis offerretur, Dacia vtpote contenti ; et pauciores, quam vt plura tum quidem, sine discrimine rerum suarum, resistantibus Romanis, auderent occupare. Repeto proinde argumentationem meam duntaxat, cum ab Istri limite Auares inter atque Romanos constituto, vt et Simocatta ad annum quoque 599. scriptum reliquit ; tum ab Auarum ex Dacia, in Dalmatas, haud vero ex Pannonia, eruptione petitam ; item a Prisco, Duce

## N O V A.

Mauritii, Chaganum, in hodierna citeriore Hungaria, saepius victum, occupare volente, ne tactam quidem esse, nedum refutatam. Quis non videt id oportuisse fieri, si ante Phocam Imperatorem Auaribus in Pannonia sedes decernere velimus? Nolum haec vrgere amplius. Mihi quidem Auares circa ea tempora, si, quod optima auctoritate nixus, protuli, verum est, parum in Pannoniam iuris habuisse videntur.

Cur de caetero Vir Doctissimus miretur, verba me Cedreni, queis, hic adserit: *Initio Imperii Caesaris Heraclii Aares Europam vastasse*, in opinionis meae depromisse auctoramentum, non sat perspicio; cuin Europa Cedreni vix ac ne vix quidem, vt ille vult, pro sola Illyrici orientalis prouincia accipi queat; quando ipse Cl. PRAY Cedrenum ad Mauritii tempora, queis Auares Pannionam infestare conabantur, respexisse credat. Miror ego magis, quod in suspicionem adducatur, ab anno 603. plura versus austrum et occasum bella Auarum nos relata legere, quibus tandem Pannonia occupata est Consule enim minimum optimos Annales Prayanos ab an. 60. ad an. 78.

Atque haec iam non vitiligandi, sed veritatis inuestigandae causa breuiter dicta, non feret aegre Vir modestissimus, qui ipsi totus in eo est, vt quoad eius fieri potest, Historia patriae, in lu-

## PRÆFATIO NOVA.

ce ponatur optima, ab erroribus vindicetur. Quo  
id tanto fidentius sperem, efficit, quod iam de  
Pannonia anno duntaxat 900. ab Hungaris occupa-  
ta, amice conuenerimus.

De caetero, si per me stetisset, vota ut re-  
petam mea, conatus fuissim libello huic meo,  
sicut aliunde, ita ex Analectis Scepusii Doctiss. P.  
Caroli Wagner, complura inserere. Sed mittō  
haec. Erit fors, cum modo neglecta repetierimus.  
Id solum addo me Viri Cel. Io. Gottl. Boehmii,  
Conspectui nostro praemissam Epistolam omisisse, ex  
hac solum ratione, ne suffenus esse videar. Vale,  
L. B. optime. Scribebam Schemnitii, die 15. Ju-  
nii 1775.





I. N. D.

CONSPECTVS

HISTORIAE HVNGARICAE.

---

PROOEMIVM.

**H**ungaria est omnis diuisa in partes quatuor, a fluminibus, quae eandem secant, trahens appellationem. Quae ad Danubium utrinque pertinet, inferior, ad Tibisci oras, iam hinc, iam illinc promissa, superior nuncupari solet. \* Iurisdictio-nes, nos Comitatus vocare solemus,

B 5

nu-

\* Disputat haec, vt solet, docte Cl. IOS. BENCZVR, mihi amicissimus, in praefatione Compendii Hung. Geogr. Posonii an. 1767. recusfi.

numerat plus minus LIII, praeter Cumaniā, et terras Iazygum. Regio omnibus propemodum naturae bonis locuples. Auri caeterorumque metallorum, praeter stannum, marmoris, frumenti, vini, leguminum, pabuli, salis, pecorum, siluestrium ferarum, pisium, et quae non alia, affatim suppeditat. Ibi vasta planities, hic perpetua iuga montium, illic rursus laeta collum magnitudo, et agrorum pratorumque varietas, lumina oculorum mira adficit voluptate. Fluuios et amnes, hos rati bus, illos nauibus tolerandis pares, universos piscosos, complures repereris. Montium notissimi Tatra, Fratra, Matra, Sztina, et Silua Bacuntia; lacus Balaton et Peiso.

Quam late pateat Hungaria, quasue regiones attingat, sic adparet, ut quilibet nullo cognouerit negotio, eam non proprie dici Pannoniam. Complectitur enim hodieque huius partem duntaxat, caeterum Dacie pariter ac Quadiae, confines nobis olim prouincias, et omnem Iazygum Sarmatiam. Paunonia vero inde a Caetio monte per Styrios Carinthiosque, ultra Sauum flumen pertinebat, in Superiorem, seu Primam, et Inferiorem, vel Secundam Consularem diuisa. Illa, si Philippum Cluuerium audias, complexu-

conti-

continebat suo partem Austriae, Styriam, Carinthiam, Carnioliam, Croatiam, et hodiernam Hungariam ad amnem Rabam; appellabatur alioqui, si non vniuersa, saltem pars quaedam Valeria, a Diocletiani Caesaris filia: haec caetera, quae trans Danubium iacent, Slauoniam item et Bosniam, in qua Sirmiensis, Budalia, et Aman-tina ditiones occurrunt. Speciatim Sauo Drauoque flumiibus conclusa Interamna-na, Sauiensis item, ac Ripariensis nominabatur. Caeterum Pannoniam Romani iam consulibus tentarunt, ingressus Iulius Cae-sar, partem Augustus, vniuersam deuicit Tiberius. Vandali postea, Goths, Hunni, Longobardi, Auares, Franci, Marahani partem regionis possederunt, donicum ab Hungaris, ex Aliae finibus egressis, sub iugum, qui tum erant incolae, mitteren-tur. In Dacia a Tyra flumine ad Tibiscum extensa, hae fere itidem, quas nunc dixi, nationes olim regnabant, post Ge-tas, Dacos, et Romanos. In Iazygia, quae a Tibisco primum ad Morauam am-nem, dein ad Granuam duntaxat porri-gebatur, habebant Sarmatae, quos ho-die Slauos adpellamus, Henetarum po-steri, cum Osis Gothinisque, Celtarum stirpe generatis. A Granua supra habi-tabant Quadi, quos postremum Moraui vel sedibus expulerunt, vel in ciues adoptarunt. Atque incolas quidem, a Mora-

Moraua ad Tibiscum, peculiari Com-  
mentatione exposui, \* quos, si cui vo-  
lupe fuerit, legat. Nec deerit forsitan,  
qui veteris Pannoniae et Daciae, quan-  
tum hae quidem prouinciae ad nos per-  
tinent, historiam sit elucubratus. Haec  
dum aliis tractanda permittimus, equi-  
dem in praesens a Hunnica prima ori-  
gine ciuium nostrorum res gestas ex-  
plicare institui, cum Historiae Hunga-  
ricaee conspectum, nec patriae veterum  
fessorum me promere velle receperim.  
Aget itaque



LI-

---

\* Prodiit Sopronii sub initium anni huius  
1768. cum adiecta Epitome Schemnicii,  
*Augustorum* gemino aduentu gloriosi, Re-  
giis oblata manibus.



## LIBER I. DE HVNNIS

**N**on tamen, et si Hunnicas origines explicare ordior, Scythicas investigare constitui; ne in errorem incidam auctorum opinionibus multum discrepantem. Apud quosdam ambigitur, multos falsa tenet persuasio, vniuersa, quae de Scythis veteribus scriptores memoriae prodierunt, de Hunnis pariter intelligi debe-re. Videas haec ab Historicis varie dispu-tari, quae eo creuisse putantur, ut iam magnitudine sua laborent, et legentibus plus taedii, ac voluptatis praebitura videantur. Et quanquam oportet rudem vetustatem scribendo superari: attamen, cum equidem vix quicquam hac in re satis certum affirmare ausim, nec dubia pro certis ponere, hoc conatu in praesentiarum supersedendum putaui, et non nisi de Hunnis agendum. Atque in detegenda horum quidem origine, nostra hac aetate, *Deguinesius*, Gallus, vir multae eruditio-nis, praecipuam quandam meruit laudem, quos, ille quidem, ex campis Babyloniae in Tartariam Magnam exciuit, inter plu-res

res asseclam nactus P. *Prayum*, Hungarum S. I. de patria praeclare, inter eruditos meritum. \*

Nec est, vt id quispiam dubitet, suffragantibus domesticis Annalibus. Apud Sinanos auctores, eorum iam anno MCCVII. ante Christum natum interiicitur mentio. Vt semper non bellicosi modo, sed foecundi etiam habiti sunt: sic creuere iam antiquitus cum virtute, tum numero maiorem in modum, vt murus Sinensis, toto celebratus orbe ad impediendum eorum incursionses construi debuerit; de cuius tam initiiis, magnitudine et structoribus non interest nostra differere. Ambigi non potest, vel refectum, vel consummatum a *Chihoamtio*, Sinico Imperatore, a cuius iam morte, auspice DEO, Hunniacae gentis origines explicare conabimur.

SE-

---

\* Vid. *Annales veteres Hunnorum, Auarum et Hungarorum*, Vindob. 176. M. DEGVIGNES *Histoire Generale des Huns, des Turcs, des Mogols, et des autres Tartares occidentaux, avant, et depuis I. C. iusqu'a present* -- ouvrage tiré des Livres Chinois, et des Manuscrits Orientaux, de la Bibliotheque du Roi. Paris 1756. 1758.

## SECTIO I.

*De Hunnis Asiaticis.*

**P**ostquam *Chihoamtius*, cuius nunc me-mineram, viuere desit, imperium Si-narum, Hunnis ut vicinum, sic for-midabile, pluribus, prae vno regnare cu-pientibus, tanto foedius in partes tra-hebatur, quo magis tyranni inter se time-bant, et alter alterum praeoccupare con-nitebatur. Hoc adeo turbido tempore, An.a. facile accidere potuit, vt *Teumanus* impli-n.C. citos tyrannide vexaret, et cum apud 210. Hunnos esset fama excellenti, Sinicis e-tiam Scriptoribus ante caeteros innotesce-ret. Nec nullam cauffiam subesse videbant tanti viri laudes praedicandi. Vt enim rerum gestarum gloria, sic imperii magni-tudine plerosque omnes antecedebat, quip-pe qui a flumine Irdischo ad Amurem, et fontes Choangi terum potiebatur; hodi-erna vtique Tartaria Magna. Filium ha-buit nomine *Meteum* generosa indole, o-mnibus in primis earum, praeterquam vni ex pellicibus regiis, quae ex se natum, regnare, prae illo cupiebat. Vt ad frau-dem acuta erat foemina, suadet regi, ad

Yue-

Yuechienfes vt Tartaros , obfidis loco ,  
quod petebatur , mitteretur , interserens :  
*Fore tali modo constantem amicitiam , cum  
quibus perpetua intercessisset hostilitas.* Vix eo  
peruenerat Meteus , Teumanum rursus  
solicitare : *Barbaros Hunnico nomini infestissimos , dum ab omnibus rebus imperatissimi essent , repente bello adgredieretur , facile posse pacis cogitatione securos opprimi.* Id eiusmodi erat , vt cum indicta cauffa Tartaros petret , Metea armis hostium tollere nitetur . At huic muliebre consilium , quod animum attenderat ad cauendum , celari non potuit . Itaque clam sese a Tataris subduxit , et ad suos delatus arma in Teumanum , non iam patrem , sed infidatorem vitae suae comparare adgreditur . Nactus est plerosque omnes ( tam inuisa est cunctis patricidii atrocitas ) consiliorum socios , destinationisque adiutores . Neque vero solum , qui consciī erant , animus vltione flagrabat , sed omnino miles ipse incopta probare videbatur . Patris itaque crudelitatem filius , perfidia defectionis vlciscitur . Priusquam tamen ad manus ventum erat , fidem suorum experturus , coniugem , quam quisque eximia caritate diligebat , neci pro se trade re iubet . Dirum exemplo facinus , nec tamen a populo nimis dedito recusabatur . Repente omnes ad caedem coniugum , quas ad necem deuouerant , discurrere , saeuire

re haud aliter, quam si innoxiae extrema  
meruissent. Tali dōcumento de voluntate  
ad se confluentium certior factus, ar-  
matos singulari arte instituit, et multa in  
re militari partim noua adfert, partim me-  
liora facit. Ita exercitatis copiis, etsi  
vix numerum decem millium explebant,  
patrem, ingentibus exercitibus munitum,  
adgreditur, et victum vita pariter, ac re-  
gno spoliat: in eo certe vituperandus, 209  
quod auspicia regni a parricidio coepit.  
Vt ut fortuna consiliis infandis, vt piuri-  
mum obstat, hic nihilo secius pari felici-  
tate duplices profligauit Tartaros, et,  
cum amplius ter centies millia sub signa  
coegerat, auulsa ab Hunnico imperio re-  
cuperaturus, praepotentes id temporis Si-  
nas bello petiit, et nonnullas omnino  
prouincias pace facta recepit.

Sublatns rerum successibus titulum 201  
*Tanjoi* primus usurpauit, quasi coelo ge-  
nitum dices. Recruduit interuallo tempo-  
ris bellum Sinicum, ciuili diffensione, et pri-  
mo velitationibus ducebatur, Hunnis maxi-  
me infelicibus. Huiuscemodi initio *Kao ius*,  
Sinarum Imperator tantum mouebatur, vt  
iusto proelio congredi percuperet: ne  
quid attamen, inconsulto consilio faceret,  
misit callidissimos ex suis, ad explorandum  
aduersariorum et numerum, et conatum.  
Hunni, id quod erat, arbitrati, fortissimos  
C quos-

quosque munitionibus, vel situ locorum occultant, leui armatura, et vilissimorum turba, totius exercitus speciem mentiri iussa. Speculatores eo modo elusi, postquam ad suos reuerterunt, Imperatori spem certam, nullo negotio opprimendi hostis iniiciunt, orantque, ne occasione in a fortuna datam, e manibus dimitteret. Ad hoc consilium plerique omnes acceperunt, praeter *Liekimum* ducem solerterem, et Hunnicae consuetudinis apprime gnarum, qui insidias, ut res ipsa erat, veritus, longa oratione, ab incoepio dehortatur. At Kaotius veritatis impatiens, si quando, tunc praesertim vtilia suadentem abduci iussit in vincula, ipseque, ut si victoriae certus, ductare orditur. Vix aliquot stadia progressus incidit, citra opinionem, medios in hostes, circumuenitur, sentit se deceptum, et ubi sua consilia damnat, aegre in arcem Tantumfu, munitam natura et arte, effugit; in qua, sine dubio, maximis obsecus operibus, captus in potestatem venisset, ni vxor Metei, viro acrius ingenium nacta, tempestue condocefecisset: *Non posse bene geri amplam rempublicam unius imperio;* et ea re Caesari elabendi secisset potestatem. Suppuduit facti prudentia muliebri libertati restitutum, cum vniuerso exercitu, quem habebat maximum, decerne statuerat. Verum salubrioris nunc, ac ante patientior

tior consilii, cum multi pacem bello anteferri aequum censerent, et si magna in hoc eius intercesserat cupiditas, non modo animum mutauit belli inferendi, sed etiam Lieukimum vinculis exemit, periculo suo, vera in medium consuluisse edictus: adulatores contra, exploratum ante dimissos abstrahi iussit ad capitale supplicium. Adparuit eo vim maiorem inesse veritati, quam ut plane supprimi posset, nec evitare adulatores meritam perniciem. Pax dehinc confecta, stabilis, dum imperararet Meteus, et si graues subinde intercesserant similitates. Multi, hoc rege, populi, in primis varii nominis Tartari, ab Hunnis sub iugum missi sunt: ut adeo rerum gestarum magnitudine, inter Tanjoos Metea superarit nemo; ut pote cuius Imperium a Corea et Muro longo ad Astracan Siberiamque pertineret.

Post hunc regnauit *Loachamus*, non 174 regni modo amplitudine, sed paterna omnino gloria praferocior, in litteris ad Sinarum Imperatorem, sibi tunc vestigalem hunc usurpabat honorem: *Magnus Hunnorum Tanjous*, *coelo terraque satus a sole et luna in solium euestus s. p. quem tamen*, quia supersticio gentis, non vjs expresserat, apud suos, nullam habet iniuriam. Regem Tartarorum Yuechiensum superatum cepit, cuius crano demum

Hunni in solemnibus sacrificiis pro poculo vtebantur, Sinarum regiones, quod imperio suo non parerent, identidem perpopulabatur.

158 Ex hoc natus, *Kiuntchingus* cognomine, mortuo successit patri, qui principe Sinarum sibi desponsa, pacem initio cum vxoris gentilibus, fine dolo malo coluit: postea vero, quam hi aduersarii, ac socii esse maluerunt, *Hunni* Pekinensem provinciam infestis armis inuadunt, hostes ingenti clade sternunt, et populationem late proferunt; amittunt nihilo minus, quia diuersis locis bellum gerebatur, Ortusorum regionem, a Sinis armis subactam.

126 A morte *Kiuntchingi* lis de regno fratre inter et filium defuncti exoritur, qua *Ithiseus*, (hoc enim priori nomen additum erat) superior euasit, et patruelem acie fractum ad Chinenses, perpetuos Hunnorum inimicos fuga se recipere coëgit; vnde plurima in Hunniam redundant mala. Adeo enim supplicem non prodiderunt, vt contra summa ope adiutum irrent, rati diffidio ciuili opportune frangi posse Hunnos. Quamuis vero principio bellum duci maiore sua calamitate, quam aduersariorum non ignorarent: tamen usque non destiterunt; quoad non modo amissa non recuperarent, sed Hunnis quoque

que finitimas eriperent regiones. Ichi-sieus videns opes suas in dies senescere, hostium e contrario maiorem in modum augeri, ad pacem petendam eo magis animum applicuit, quod ante quadraginta suorum millia secessionem fecerant, quos non ambigebat contra se arma laturos.

Aegre quidem, impetravit tamen, quo 114  
fibi *Ougoeius*, proles sua, surrogaretur. Missi ad hunc sunt legati Sinarum Imperatoris, denunciatum: *vti se gentemque uniuersam fidei suae permitteret; alioquin frustra eos in solitudine, quo se olim recipere soliti fuissent, spem defixuros, secuturum se cum copiis, qua illi perseverarent, nec ante detinutum, quam imperium omne armis deuicisset.* Id fortunae Hunnis erat, quod miniae intra verba constiterunt. Cessatum vtrinque ab armis, qraeter quam quod, iam hi, iam illi furtiuis expeditionibus terrebant.

Mature rebus humanis exemptus, re- 105  
liquit haeredem imperii admodum puerum, ac ob eam rem *Vhl-Tanjoum* nuncupatum. Multi impuberem spreuerunt aetatem, et intendebant omnino, seu vana ambitione, seu aere alieno, seu denique praesidio hostium corrupti, infidiis tollere. Sed hic quidem plerasque euitauit, et, quod in se cudebatur malum, in inuidos fortunae suae conuertit.

102 Extinctus in ipso aetatis flore regnum  
fratri *Kulicho* reliquit, vix alio nomine,  
atque praeda nonnulla ex Sinis relata, ad  
posteros memorabili.

100 Hunc exceptit minimo natu frater *Tcietiheus*, cum manu fortis, tum consilii plenus. Ab hoc tamen viro plerique Hunnorum descierunt, qui aequuleo impositi, legatum Sinanum socium facinoris edixere. Quod hic ea ex re in teturum coniectus est carcerem, Sinae ius gentium violatum questi, Hunnis bellum indicunt. Infeliciter! vt constaret *Numen conatus improbos odio detestari*. Nam quamuis primo impetu Proregem Occidentis, cum armata manu obuiam se profundentem obtruerint, praedaque locupletati ouantes ad suos regressi: nihilominus tamen usque eo afflitti sunt postea, cum plures, ac ante, in armis comparuerint, vt ex primo proelio, vix quadringenti euaserint, secundo, quod octiduum perhibent durasse, in quo ultra ducenta Sinensium armatorum erant millia, cum Tanious vix dimidiā numeret partem, cum magna iactura, qua famae, qua militis refugere debuerint. In tanto impetu cursuque rerum morte obiit

96 Tcietiheus, duobus relictis filiis, quorum prior Orientis erat Prorex, alter summus militiae Praefectus. Prae hoc, ad superiorem, et patris arbitrium, et ius pri-

mo-

mogeniturae regni fasces deuoluēbat. Sed quod et remotior esset, et fama exierat, lethali morbo confictari, proceres, ne quid detrimenti cunctatione respublica patetur, minori ius imperandi deferunt, confirmantque in eo honoris gradu. Vix dum pompa tantae sollemnitatis desit, aduolat, quem mortuum existimarent, perculitque suo aduentu principes, ut crederent ex se poenas expeditum, et regnum fratris discordiis, in partes tractum iri. Neutrum accidit. Germani namque, raro posteritatis exemplo mutua contentione alter alteri regnum obtrudebant, dōnicum minor grandiorem natu, vel ingratīis cogeret rempublicam capere. Factum in nostris eo magis prædicandum, quo saepius animaduerteris, meliori disciplina imbutos, modo vi, modo fraude ad imperia nisos.

Imperauit ergo pro fratre *Holokous*, illo Orienti præesse iusso. Nec huic, prout ante eum aliis, cum Sinis deerat materia simultatum, sed inprimis spoliorum gratia. Haec, belli sane difficultimi, fecere initium. Hunni cum intelligerent sibi cum hoste copiosissimo ac solertissimo rem esse, quod inopes ipsi rerum omnium, ac imparati erant, in interiora regni sese abdunt. Sinae suapte cedentes, coactos fugere rati; tanquam ad victoriam consequuntur, nec ante se in insidiosa itinera

85 delatos senserunt, ac vniuersi prope de-  
lerentur, duce intercepto. Dehinc ad  
pacem studia inclinabant vtrinque, inter  
quae Holokous occubuit, fratre, p[re]a[et] filio,  
successore nominato, quia hic non  
prope puberem aetatem erat. Seditione  
tamen multum rempublicam adfligente,  
antelatus est patruo *Hoyentius* sicuti aeta-  
te, perinde natura leuis, ac parere, quam  
imperare dignior. Ausi itaque immaturo  
puero tradere imperium Hunni parum ab-  
fuit, quin ad extrema peruerterent: sub  
iugum certe missae gentes, partim in li-  
bertatem sese adserebant.

68 Nihilo hoc felicior germanus erat *Hui-  
lius*. Tamen venationis praetextu cum  
centum millibus Sinas adoriri statuerat,  
astu magis, quam virtute fisis: at  
in ipso conatu repentino morbo extin-  
guitur. Quo factum, vt res Hunnorum  
ad interregnum veniret.

60 Citra opinionem tamen Prorex Occi-  
dantis Imperator dicitur *Voyenkius*, ac-  
ceptior suis futurus, ni regnasset. Im-  
perium adeptus pari saeuitia, paene ad-  
versus omne genus hominum graffabatur;  
sed in primis a quaeis sibi tendi insidias su-  
spicatus erat. Non est itaque mirandum, si  
a quibus diligenter oportebat, odio haberetur,  
daretque aemulis occasionem imperii di-  
strahendi.

In-

Interea dum Hohansius fidem implo- 54  
rat Sinarum a *Tchitchio* regnatur Hunni,  
qui remotis aduersariis, Ousiorum parte  
iuris sui facta, cum paullo ante se reges,  
imperii terminos vix ac ne vix quidem  
tuerentur: ipse non modo maximo animo  
hostes a finibus arcebat, sed etiam ad oc-  
cidentem versus, regnum tantopere pro-  
pagauit, vt sedem ad fontes Iaichi, in  
regno Astracan constitudo esset. Magni-  
tudinem quaesitae dominationis continua  
possessione firmaturus, bellum in Chinam  
Hohansii ergo transferre meditatur; ve-  
rum in apparatu a Buchariae praefecto  
vita exuitur.

Succedit itaque *Hohansius* Sinarum et 36  
praesidio, et benevolentia, quam ille quo-  
quo modo pensaturus, nec icit modo cum  
his foedera, verum desponsa principe Im-  
peratoris, filio, firmat etiam. Hoc infe-  
lix, quod imperium minus, ac volebat,  
haberet diuturnum. Animam agens ex  
Principe coniuge natum, (plures enim,  
more gentis duxerat) impuberem adhuc,  
haeredem designabat. At illa, quod o-  
mnibus admirabile visum, maritum com-  
plexa summis orare precibus: *Filium* ut ex  
*socia progenitum*, quia maior esset aetate, re-  
gem diceret; haec rursum: *Illum* iuberet im-  
perare, cui ius fortuna impertiuera, et in quem  
pairis suprema voluntas inclinaret, fore inter

*Hunnos tam sapientia, quam fide inclutos,  
qui, dum Rex adoleuerit, cuncta prudentia  
fua moderarentur.*

39 Tandem post tam insigne, et inusitati exempli certamen modestiae, suffragatione cunctorum ad maiorem annis, nomine *Fotchuloiotium*, regni potestas transfertur, ea lege, quo, vbi hic decesserit de vita, minor pleno imperet iure. Factum id est ante decennium, quam regnare coepit *Tiemisius*, postea *Tiemochetus*, ac dein *Nangchiyasius*, tranquillis Hunnorum rebus.

12 Descenderat horum postremus magna pompa in Chinam conueniendi Imperatoris gratia, nec minore cum animorum testificatione, tum munerum magnificentia excipiebatur. Non vrbs, sed regnum ad eum visendum videbatur concurrisse. Nec interim longo post interuallo temporis, quam Hunnus se suis reddit, *Mamus* quidam, homo inquietus et ad crudelitatem natus, tyrannidem apud Sinas arripuit, oppressa *Hani*, regnante familia. Odio in Hunnos ante alios atrocior, in quorum medio, quia nullam caussam belli inferendi reperiebat, factionem clam parare ingressus. vt inter se ciues committeret.

A.C. Isti fraudem, quae suberat, suspicati,  
10 postquam Buchariae partis, quae sibi infensissima semper erat, potiti sunt, *Vichulio*

*lio jotio Imperatore renunciato*, quod clam in se parabatur, vi adperta auerruncare suscepserunt, translatis in Chinam armis, initio tamen, quam consequentia euentorum feliciores. Hostes enim cum tercentis millibus armatorum, diuersis in locis vires distracturi, in Hunniam introeunt, et maxima ex parte deuictam, in quindennas partiuntur dioeceſes, totidemque vel filiis, vel nepotibus Hohansii regundas tradunt; at ipsum Utchulioiotium ita frangere nequuerant, vt non in fines suos frequenter excurreret, praedasque ageret opimas.

Quo minus attamen in morte eius, et <sup>13</sup> scissione domestica, et ira hostis regnum labefactaretur, *Hienlium* Imperatorem Hunni iubent, plurimum apud Sinas gratia valentem, quorum is postea, supra quam debebat, studiosus fuit.

Post hunc senatus populique Hunnici <sup>18</sup> iussu regnare inchoauerat *Yuus*, frater Hieulei, cui Mamus Sina, Tangum sibi in primis carum opposuit, et, quem obtrudebat, stabiliri vt poffet, maximis post hominum memoriam copiis Hunniae bellum intulit. Utique infortunatissime omnium! Nam cum alteri regnum alienum quaerit, ipſe ſuum amittit. Sinae quippe exſecrati superbam insolentiam Mami, quae vſu perpetuae crudelitatis intolerabilis

bilis facta erat, vita concessa, spoliant, quam male tuebatur, dignitate. Sustulerunt quidem tyrannum, at caussas intestinorum malorum tollere non poterant, iam hoc, iam illo ad supremum regni honorem graffante. Isto iam opportuno sibi, ut putabat, tempore Yuus omni serebatur cogitatione ad patriam liberandam; neque enim poterat pati, seditione maiorum victam Hunniam, seruire barbaris, dictitans: *Sinas Mamum se adiuuante oppressisse; redditam eo pro beneficiis gratiam, ut iam aequum videri oporteat, Sinas Hunnis tributa rursus pendere.* Ac effecit omnino, ut huius inter aemulos: quem ipse vellet, Imperatorem sequerentur; ad magnam olim venturus famam, ni dum externa administrat bella, ad propulsanda suis e finibus reuocatus, fortunae suorum immortuus fuisset.

46

Haeredem imperii filium dixit *Punu-chum*, si qua, ea vel maxime re, infelix. Hoc enim Tanioo haud dubie ad vim res spectare coepit, et imperii Hunnici labare dignitas. *Peus* namque, *Vtcholioiotiorum* progenies, seditionis ac discordiosum vulgus ad suas trahebat partes, et inquiete, dominandi libidine effecit, ut ea fere tempestate Hunni sub Taniois esse desinerent. Praeter id, quod intestina mala in dies augebantur, infectorum mul-

multitudine, lue pecorum, ac hominum  
 peste prope omnis exinaniebatur Hunnia,  
 in quam insuper potior Asiae pars coniu-  
 rauerat. Tantis exagitatus calam atibus  
 Peus, origo malorum, quod praeterea in-  
 sidiis petebatur, in Chinam ad salutem  
 perfugit. Facilis itaque diuisui exstigit  
 Hunnia, cui ab eo tempore Septemtrio-  
 nalis partim, partim Meridionalis nomen  
 imponebatur, in qua pro vno duo regna-  
 bant: illa Punuchum, haec Peum, Sina-  
 rum clientelae obnoxium, sequebatur.  
 Nec potuit vñquam eo res peruenire am-  
 plius, vt vniuersa Hunnia sub vno Tanjoo  
 esset. Septemtrionales a plerisque omni-  
 bus, sed cum primis, qui ab eis secessio-  
 nem fecerant, popularibus, extrema passi,  
 pars ad Europam proprius acceſſerunt.  
 At ne hic quidem tranquillis esse licuit.  
 Nec Iaichi fluminis obiectus, prohibere  
 potuit, quin Sinae veteres in eos exer-  
 carent inimicitias. Iguri ciuale obmouent  
 bellum, superueniunt Tartari Topai, im-  
 plicitos domestica calamitate, facile pro-  
 fligant, reliquos ad Volgam reiiciunt.  
 Quae tamen res eos, non tam fregit,  
 quam erexit. Patria extorres terram, quae  
 eos aleret, armis quaerendam decreuerunt.  
 Adoriuntur proinde maximo animo, Y-  
 entcaiorum seu Alanorum in Sarmatia As-  
 iatica, (regno Astracan) gentem popu-  
 lam, caeso rege subiugant, domicilia a-  
 pud

48

93

134

318

pud victos collocant. Atqui hinc demum, in Europam inconditis agminibus transfuerunt, ut adeo labi per errorem necesse fit, qui vel originem Hunnis recentiorem tribuunt, vel eos nonnisi a palude Maeotide arcessunt; quo nomine mirari conuenit multos, qui Hungarica componebant tempora.

## SECTIO II.

*De Hunnis Europaeis.*

**Q**uo potissimum tempore in Europam traiecerint Hunni, non exigua lis est inter Scriptores Historiarum. Proxime est ad omnem verisimilitudinem, anno post reparatam salutem humanam, septuagesimo quarto supra tercentesimum, dum *Valeans* Romanis imperaret, rege *Balambere* Tanaim superasse. Primi commentores dubiae relationis vel boue oestro percito, vel cerua duce paludem Maeotida traiecisse prodiderunt tanta fiducia, ut si hunc quidem Sinum ponti Euxini, et maris Mediterranei perpetuo gelu duratum euicissent omnino. Ut hoc quidem transeamus in narrando, Hunni in citeriores oras Tanais delati, ingentem populorum multitudinem mira celeritate subegerunt, solis, qui ante victi erant, et huc refugerant, Alanis, ut rudes olim ad resistendum fuerint, diutius caeteris, obnitentibus. Verum ho-

rum dein quoque parte alio propulsa, parte in societatem armorum adscita, Ostrogothos, a Tibisco ad Borysthenem colentes, cum ferro inuadere statuunt. *Ermanaricus*, 376 rex qui fuerat Gothorum, desperatis rebus, videns rerum successu tumentem ferocemque hostem contra se tendere, voluntaria occubuit morte, cuius male conscientia, quam regis de republica bene meriti potius munere functus. Ita rectore denuo datum populum difficile non erat Balmberi subiicere praeter, qui ad Vsigothorum societatem, in Moesiam, demigrant, timore perterriti. \*

Prolata biennium a Tanai ad Istrum et 377 Tibiscum ditione, seu vi, seu indulgentia Gratiani ac Valentiniani Caesarum, Hunni laetam solo Pannoniam obtinent. Nondum heic stabiliuere sedes, iam a Vsigothis in auxilium aduersus Orientis Imperatorem arcessebantur, quo bello ipse occidit Valens. Gratianus, quo iam fere impune graffantem hostium multitudinem disiiceret, arcessit ex Hispaniis Theodosium, 379 ducem rerum gestarum fama inclutum. Tradit tanto viro summam belli, et, quod sponte facturus erat, monet, reipublicae fa-

---

\* Multis haec persequuntur MARCELLINVS L. 31. IORNADES in reb. Geticis c. 24. SOZOMENVS Hist. Eccl. L. 7. c. 27. P. DESERICIVS Cominent. Tom. III. P. I. c. 5.

satageret. Is non minus sua , ac Imperatoris voluntate eo rem perduxit, vt, posito odio , in amicitiam vtrinque veniretur; nec tamen alias , quam vt Hunnis praedae et tumultuum audis, nec vbi populo Romano damna facerent, decem et nouem auri librae muneri darentur. \*

Obtinet vulgaris opinio, signa fuisse collata cum Macrino et Detrico, praetoribus Romanis, ad Potentianam primum, tum in agro Kesmarkiensi (fors Kicensi ad Posonium) neutramque aciem ex certamine, fine iactura, abiisse, ad extremum vicisse Hunnos. \*\* Sed ad firmandam commemorationis huius fidem, praeter remotam ab antiquitate credulitatem, vix quicquam attuleris. Certius est Valentianum iu niorem persuasisse Hunnis , fraterno ut bello praeponerent , quod Gratianus contra Maximum , tyrannidem adfectantem , in Gallia orsus erat, et huic cum Alanis inferuissent. Nec illi quidem diffen sere; quos tamen , cognita fratris necce , Galliae iamiam adpropinquantes , 384 per Alamanniam domos redire iussit , praetexens , inimicitias pactionibus sopitas. Scriptum reliquerunt nonnulli ea occasio ne

\* Vid. OROSIVM L 7. c 34. PAVL. DIACON. Hist. L 11. ADON. in Chron. ad an. 379 ZONARAM Annal. Tom. II. L. 13. §. 17.

\*\* THVROCZIVS Part I. c. 11. BONFINIVS Dec. I. L. 3.

ne Hunnos in D. Vrsulam cum XIM. virginibus apud Moguntinos saeuitiam exercuisse, in Basilica demum sepultas, quod tamen hodie perplurimi dubitant.

Commodum auro locupletati reuerte-re nostri. Gothi enim rege Winiethario (permisum namque erat proprios habere, Hunnis obnoxios) dum fortunam, qua in Antas vsi sunt, inconsultius sequuntur, ab Hunnorum desciscunt imperio.

De quorum defectione cum delatum 385  
fuisse, Balamber magnis itineribus, cum multitudine suorum, in rebelles properat. Ut erat plenus animi et victoriarum: vincitur tamen, primo atque altero concursu, tertio demum, interemto manu sua Winiethario, ita vniuersos perculit; vt se in obsequio mansuros sacramento religionis obstringerent. Accepta fides, et, quia rex denuberet in domum regis Gothorum (caesi enim neptem Waladamarcam sibi matrimonio adiunxerat) affinitatis vinculo firmatur, vtriusque populi laetitia ac emolumento.\*

At non diu supererat Balamber, parumque usura tantae rei perfui potuit, post cuius obitum summa imperii ad Charatona 387  
desertur. Huius illustrissimum factum est 388

Ma-

---

\* IORNANDES de rebus Get. c.28. AMMIA-NVSL. 3<sup>1</sup>. SIGEBERTVS in Chron. ad 386. f.

Maximi et Eugenii, aemulorum Theode-  
fii Caesaris oppressio, quae adiuuantibus  
394 Hunnis, accidit. Circa ea tempora *Theo-*  
*timus*, Hunnus genere, sanctioribus eru-  
ditus litteris, cum *Niceta*, primi doctorum  
christianae rei munere, apud barbarem ad-  
huc gentem functi sunt, ac non paucos ab  
exsecranda superstitione ad virtutem reuo-  
carunt, quorum deinceps plerique, ubi  
durius haberentur, ad Romanos transibant,  
mox pace, mox bello repetendi.\*

Postquam Charaton mortem occubuit,  
400 successit *Vldinus*. Excuerat hunc, initio  
statim imperii Arcadius Imperator, contra  
Gainam, sperans horum ope se opprimere  
posse, spectatum ante ducem, iam per-  
duellem. Nec fecellit de Hunnis concepta  
opinio. Nec etenim pugnare prius desti-  
terunt, ac hostis caput, clarissimum victo-  
riae suae monumentum, Constantinopolim  
mitterent. Defuncti adiutorum officio,  
ne, mutua diffensione, vel sibi, vel impe-  
rio accideret iniuria, in foederis sanctio-  
401 nem firmandam vtrinque transitur. Nec  
tamen se a iure abiturum existimabat Vl-  
dinus, si Alarico, Visigothorum regi, in  
bellum contra Honorium, occidentis Im-  
peratorem proficisci, non solum transe-  
undi per sua regna potestatem, sed auxi-  
lia quoque daret. Ea tempestate fortuna,  
quam

---

\* OLYMPIODORVS Script. Byz. Tom. I. et  
Claudianus.

quam ante extulerat, Italiam deprimere adorta erat. Plurima bella videbantur in eius exitium geri, et vti quisque fortior erat, velut diuites manubias, Romanum spe occupabat. Sed Alarico quidem secus res cecidit, ac cogitatione preeperat. Qui post hunc regnabat Radagaius nihilo ea te mitior factus, cum exercitu, ad numerum ducentorum millium, quem ex omni populo coactum habebat, fortunam iterum putauit tentandam. Videbatur ciuitos, tantis copiis munitus, ad societatem perducturus. Saltem de Hunnis opinio fefellit. Vldinus enim adeo auxiliis iuuandos non putabat Gothos, fors, quia pro insita genti superbia, praevidebat crudelius in Romamos consulturos; 405 ut contra, Stiliconi opem tulerit, et Romanis coniunctus, Radagaisum internecione delere iuuerit. Qua officii promptitudine, et bellandi virtute, sic se Italo probauere, plures vt inter corporis custodes legeret, nefarie posthaec, a Saro quodam, ad inuidendum se melioribus facto, ad unum interemptos. Nostri seu aduersariorum iniuria, seu praede cupidine perciti, fines Thraciae depopulari: sed, cum a Romanis munificentiam suorum Imperatorum, et benignam in viros voluntatem praedicari audissent; pars maxima negant signa se Vldini secuturos. Ita desertus a suis, vix cum exigua manu, incolumis

retrocessit; Scyrrī. caeteris tardiores, capti vniuersi, et aut venum expositi, aut, quominus rempublicam turbarent, in Bythiniam agros cultum sunt transducti. \*

411 Post hunc sedebat ad gubernacula *Mundzuchus*, vulgato nomine Bendeguez. In huius aula, magno rerum Hunnicarum dispendio, vt post apparuit, educabatur Aetius, obses fidei datus a Romanis. Supra aetatem sapiebat adolescens, ac cuiuis velocitate ingenii admirationem sui iniiciebat, vt omnes coniicerent, talem futurum, qualis ex palaestra Hunnorum euaserat. Conducta sunt huius opera ad sexaginta millia Hunnorum; quae Iohanni contra Valentianum, a morte Honorii Caesaris, fasces imperii vindicarent: at enim uero rebus infectis, quod Iohannes, offensa suorum in se voluntate, iam captus, et inimicis deditus erat, ex Italia, ad propria retroflexerunt. Hic idem, procul dubio, exercitus erat, qui principio anni insequentis, duce *Ruga* (minime vero *Rua*) in Thraciam, praedae caussa, introiit, et ipsi Constantinopoli graue obsidium fecit. Verum Theodosii pietate ac prece, dux

\* OROSIVS L. 7. c. 37. SOZOMENVS L. 9.  
s. 5.

dux ipse fulmine ictus memoratur, milites iam peste, iam igni coelo delapso consumti; quo ita facilem victoriam Graii dederint, ansam praeterea ad recuperandum Pannoniam, Hunnis in Daciam retrocedere coactis, unde breui post magna vi rursus eruperunt. Cum itaque ita minus prosperas res suorum intueretur Mundzuchus, verens, ne post fata sua (conflictari coepit morbo difficulti) Romani, Attilae filii sui, impari adhuc tantis rebus aetate deuterentur ad faciendum Hunnico imperio finem, Octarem et Ruanam, eodem secum patre genitos, egregios bello duces, suprema voluntate; tutores Attilae iubet, et, dum hic par regundae reipublicae esset imperare. \*

*Octar*, qui et Optarus et Suphtarus plerumque scribitur, in Burgundiones expeditionem suscepit, ut controuersam, ita non minus sibi, ac suis perniciabilem. Nam memoriae proditum est, cum barbari a superstitione ad veri DEI opem adpellarent, regem noctu, nimia voracitate disruptum, locum dedisse Burgundiorum exiguae manui (non amplius 3000 fuisse per-

D 3 hibent.)

---

\* SOCRATES L. 7. c. 23. GREGOR. TVRON. L. 2. c. 8. MARCELLINVS in Chron. DESERICIUS Tom. III. Part. I. c. 7.

hibent.) ad vicena Hunnorum proster-  
nendi, ac eiiciendi e finibus. \*

431 Post solus *Rua*, vel lingua patria, Ru-  
has res moderabatur, ad quem Aetius con-  
fugerat, exagitatus a Bonifacio, militiae  
Romanae praefecto, cum quo de praefe-  
ctura vrbis contendebat. Hunc *Rua*, fu-  
turonum haud praesagus malorum, non se-  
cus ac constantissimum amicum, non so-  
lum ipse liberaliter habuit, sed prorsus, ut  
ab omnibus suspiceretur, effecit; nec an-  
te quieuit, quam remissum in Italiam cum  
copiis, Valentiniano Caesari reconciliaret.

433 Ex hoc facile cuius, postero tempore,  
intellectu fuit, nihil tam repente animis  
hominum elabi solere, quam beneficii me-  
moriā, et plerosque interdum, summa o-  
pe, ad maximam perniciem iuvari. Ab Ae-  
tio tamen *Rua* ipse, nihil, quod ad infor-

434 tunium pertineret, passus est. Alii reper-  
ti, qui tum quidem negotia faceffarent, *A-  
maldzuri* vtpote, et caeteri accolae Istri,  
cogitantes, quoniam ipsi Hunni in calamiti-  
tate tabescerent, nefas esse, cum se in li-  
bertatem adserere possent, ferre iugum  
seruitutis. Non tulit id aequo animo  
*Ruas*, et ne mali vis in immensum cre-  
sceret, omni ratione bellum comparare  
coepit. Occidit tamen, antequam occi-  
peret, nactus, quod ipse cupiebat, nec

per-

perficere valuit, qui sui imperii limites dilataret. \*

Et hic quidem fuit *Attila*, Mundzuchi, ut praedixi, filius patruorum huicdum tutelae obnoxius. Natus erat annos fere triginta, dum rerum potiretur, cum Bleda, vulgo Buda, fratre. Qualis futurus esset, initio statim ostendit. Nec enim, et si turbatum inuenerat regnum, alia conditione ratam cum Romanis pacem voluit, quam *ut transfugae, quorum plurimi erant, redderentur, mercatus utrinque, sine dolo malo, institueretur, ac Romani, quo foedus maneret stabile, auri libras septingentas soluerent.* Cessit hujus pertinaciae Caesar, iudicans nihil se detracturum de summa, si eo, quod in dubiam belli aleam expensurus esset, certam redimeret pacem. Ut hoc ab Imperatore sapienter et cogitatum, et factum fuerit: multum tamen nomini Romano obfuit, quod magnam estimationis suae famam, ea re, sibi compararit Attila, et id quidem non solum inter notos, sed remotiores etiam populos; ut cum ante exiguis finibus Panniae, et quod excurrit, contineretur, iam extra Europam, Africam quoque pervagaret. Peruenit ea res ad aures etiam Hono-

D 4 riae,

---

\* SIGEBERTVS, IDATIVS et TIRO PROSPER in Chron. ad an. 432. seq. IOS. INNOC. DESERICIVS T. III. L. 4. P. 2. c. 2.

riae, soror quae fuerat Valentiniāni Imperatoris; et quoniam ira animum, ob varia, ut putabat, sibi inficta mala stimularet, clam nuncios ad Attilam misit, pollicita, si ita vellet, se ei nupturam, dotem fore non minimam partem imperii Occidentis: si forte de sua fide dubitaret, eius pignus se annulum offerre. Multi in eo regni Hunnici gloriam arbitrabantur possumat; nec tamen extemplo affensit Attila, vel quod principi non fideret, vel quod, tum quidem Marti, quam Veneri plus indulgeret, vel denique, quod nondum adhuc orbis imperium animo complexus erat. \*

435 Neglecta hac cura in Burgundiones, priorum vlturus-damna temporum, infestas duxit copias. Res ab eo quidem, prospere gesta, verum *Littorius*, quem cum parte exercitus Aetio contra Gothos auxilio miserat, cum incautius lacefsebat hostem, infausto capitur proelio, multis Hunnorum desideratis. Excanduit tanto infortunio Attila, sedatus attamen ac delinitus, sicuti Romani Ducis titulo a Valentiniano, ob nauatam operam, quem Orientis Imperatores negabant, delato, item vi pecuniae non contemnenda. Reductas inde 440 copias in Acatziros, gentem Hunnicam, iu-

---

\* PRISCVS in Excerpt. Leg. p. 32. seq.  
MARCELLINVS in Chron.

iugum imperii, excutere ausam, moet. His quidem nullo negotio dominis, Moesiam cum Thracia vexare adgreditur excisoque Singiduno, et fors tum etiam Sirmio, Arnegislo item, qui se ei obiecerat, fugato, Eyzantium profectus, in remotioribus vrbis campis consedit. Graii, apud quos vetus disciplina exoleuerat, iam ludorum, quam armis asuetiores adeo ferocem, et propinquum veriti hostem, opera Anatolii legati finem inimicitarum fecerunt, postquam polliciti sunt, *se, pro non redditis rite stipendiis, auri libras sexies mille soluturos, bis mille item et centum quotannis, tributi nomine; per fugas bona fide reddituros, nec amplius, si venirent, suscepuros*: ex quo iam et caussa belli quoque suscepti cognoscitur.

443

Pace hoc modo conciliata transductas cis flumen Istrum legiones Attila, cum Bleda, aduersum forosgos, populum Scythicum ducit; quo prorsus tempore gladius Martis, Buculae pedem laesae indicio repertus, ad regem defertur, cuius, ille quidem, inuentu eo impensius gaudebat, quod illo sibi, orbis imperium, augurio superstitionis credulæ monitus, portendi crederet. Saltem ab eo, infinita animo complexus videbatur. Inter tales spes, et curas intercesserunt ei inimicitiae cum Bleda, terrarum a Tibisco ad Tanaim praefecto, non

444

de Buda vrbe, vt vetus tenet opinio, sed de principatu, queis, hic quidem, magna Attilae inuidia periit. Sublato fratre, quietem, armorum strepitu p[re]ferente, monarchiam exorsus licentius agere, et nihil non, quod ad augendam in immensum potentiam Hunnicam faceret, moliri. Offertur vel inopinanti peropportuna occasio studiis suis seruieri, et perficiendi conata. Theodosius enim Iunior, pacem Romano nomen ignominiosam exosus, viribus iam, vt putabat, hosti non impar, non tantum tributum, quod, ex pacto Hunnis debebat, non dedit; sed etiam perfugas, secus ac reperat, in tutelam recepit, nec exposcentibus remisit. Tali perfidia incensus Attila, cum incondita multitudine Hunnorum, Gepidarum, Gothorum, Alanorum, aliarumque barbararum gentium, superato Istro,

447 Moesiam tenet, Arnegisulum, quem ante fugauerat, nunc acie victum occidit, directis ex itinere circiter octoginta oppidis, Macedoniam et Theffaliam, longa pace di- vites regiones, securus populatur, ac prae- dae dulcedine abreptus, ad usque Thermopylas penetrat; anni tempestate demum et Acatzirorum iterata perduellione (ad Ro- manos enim deficere tentabant) adactus, qua iuerat, reuertit, misso Edecone, cui maxi- mam fidem vni habebat, legato ad Theo- dosium. Id eiusmodi erat, vt ea re non tam pacem aucupari, quam, quid in aula By-

zantina ageretur, cognoscere vellet, amicosque exteris ditare muneribus.

Non multo interiecto tempore venit 449  
cum hoc, quem Graii in necem sui re-  
gis corrumpere satagebant, missus a Theo-  
dosio Orator Maximinus, cum Bigila,  
Hunnici sermonis gnaro, et Prisco Rhei-  
tore, viro acuto ad res probe excogitan-  
das. Parum abfuit, quin Bigilas, insidarium  
Edeconis indicio conuictus, omnes cru-  
ciatus perferret; nec effugisset omnino pe-  
riculum, ni legationis iure tectum Attila  
iudicasset, quod apud Hunnos sanctum es-  
se consueuerat. Qua nihilo secius inter-  
pretis licentia accidit, vt Maximinus, in-  
fecta pace, quam petitum venerat, disce-  
deret, sed ne quid a Hunnis in officia hu-  
manitatis peccaretur, primum a rege, tum  
a Recca coniuge, opiparo excipiuntur  
conuiuio. Deliniuit tamen exasperatum  
Attilae animum, iterata legatio, vt iura-  
ret, se transi regionibus abstinere velle,  
nec Caesari de perfugis reddendis molestum for-  
re, dummodo is in accipiendis difficultem se  
praeberet. Datum vtrinque id est aequitati.

Hoc perfunctus labore Attila, qua ra-  
tione Romanos, Visigothos et Francos  
sub iugum mittere posset, animo versabat,  
et, quia existimauit praeterea, otio  
senescere ciuitatem, quaerebat vndi-  
que

que materiam belli excitandi. Praetextus sumebatur iam a vasis aureis, quae in Sirmii expugnatione acceperat, a Sylviano sibi, ut aiebat, clam sublatis, quae Romani, homini sacra Christiana perofo, in profanos usus tradere religioni ducebant, utrum pretium, quo aestimarentur, se soluturos non negarent: iam a sponsa Honoria fidem sibi pollicita: iam denique a precibus Vandalorum, queis sumam implorarent opem. Vedit tamen vir omnium callidissimus, nisi quid praeuide-ret, futurum, ut quos extirpatum vellet ire, socia iungerent arma, effentque, eo pacto, non pares tantum, sed et superiores viribus. Consilium itaque capit impo-nendi aduersariis. Ad perficienda ea mit-tuntur tam ad Romanos, quam ad Visigothos in Galliam, praecipua auctoritate et scientia viri, fraudem prudentia occul-turi, qui simularent, apud illos quidem, regem, suum, Vandalorum caufia, contra Gothos arma laturum; hos vero cum Alanis ad societatem et spem imperii com-munis solicitarent. Acute cogitata, pessime tamen ceciderunt. Nam, post-quam fraus animaduersa est, Valentini-anus nimis plus, quam fatis effet tutum Romanis, rem Hunnicam crescere videns, ac imprimit, quod etiam dolo malo pe-teretur, suasu Aetii, haud grauatim se ad Visigothos, Francos et Alanos iun-

iungit. Illi tum a Theodorico, hi a Merouaeo, isti a Sangibano regnabantur. Impigre, quisque pro se, bello vires reparabant. Nec minori studio omnia comparat Attila, postquam consiliis detectis, nullum dolo locum, sed virtuti duntaxat relictum esse intellexerat. Opinione praeципiebat, quae tandem usu euenerant, se multitudine, quantam conscribere posset, indigere, auxiliisque sociorum. Traxit proin, si non in conditionis, saltem prae-dae opisque communitatem Ardaricum Gepidarum, et Valamirum Ostrogothorum reges, Sarmatas item, et Quados, et Marcomannos, et Scyrros, et Herulos, et Rugos, et alias gentes, ex quibus seruitia quoque in numerum exercitus recipiens, magnum modum legionum effec-rat, quae in dies, prouinciarum, quas per-transibat, concursu augebantur. Ut in conditam haberet multitudinem, quae raro bene regi potest: tamen sine ullo maleficio, si Augustam Vindelicorum vastatam demiseris, utraque Danubii ripa iter ad Rhe-num fecit, et hoc lintribus traie<sup>c</sup>to, Met-as, (de Argentorato dubia est fides) cum multis oppidis Galliae, quod ausi fuissent portas praecludere, vel diripit, vel diruit. Lutetia Parisiorum, prae caeteris, confilio et oratione D. Genouefae perhibetur conseruata. Hunni saltem, eam praeter-vesti, Aureliam, quo fama erat plurimos ad

salutem cum facultatibus confugisse, cursum dirigebant, quam vel assultu, vel deditone haud dubie cepissent, ni Aetius, de vrbis discrimine edoctus (nam in Sangibano ad tutandum relicto, non satis praefidii ponebatur) magnis itineribus aduentans, coëgisset recedere in agrum Mauriacum, vulgo Campos Catalaunicos, in Campania, propter Trecas.

Verisimile non est hoc tempore Hispanias, ducibus Hunnorum intratas cum exercitu; siquidem non nesciret Attila, omnia cura intentiore apud hostem praeparari, et contrahi militem vndique in suum interitum. Nec creditu est difficile, si, et propter hostium multitudinem, et propter eximiam opinionem virtutis, proelio superfedere statuisset. Aberat parum, quin totis trepidaretur castris. Aiunt, ubi iam universa futuri discriminis facies in oculis erat, iussisse hariolos, extis et fibris pecudum, explorare euentus latentium rerum; vatesque renunciasse, infauustum pugnam, sed cum interitu ducis aduersariorum ostendi. Aetium occubiturum ratus Attila, cum superstitione, cuius potens non erat, parum vel mouebatur, vel terrebatur, hostem, quod ventum in loca erat, unde sine dedecore redire non posset, magno animo opperiebatur. Postquam nocte intempesta errore magis, quam consilio pugnatum erat (Franci de im-

improuiso in Gepidas inciderant) altero die Hunnus aciem in conspectu hostis instruit, medium ipse accepit regundam, cornua Valemiro, et Aldarico tradit. Apud Romanos contra Theodoricus, dextrum, Aetius sinistrum tenebat cornu, medius stabat Sangibanus cum Alanis, inclusus, ne pro perfuga ad hostem proficiuceretur. Ira ac spe cum vtrinque stimulantur animi, vertique in eo res videretur, vtri prius arma inferrent, occupat Attila initium pugnae facere: id fere nunquam non consultius ratus; iubetque, sui ut collem, qui in conspectu erat, ab infimo leniter accluem, et neutris adhuc inseffum occuparent. Praeuerterunt Romani, iudicantes ad summam rei loci naturam vsui fore, fortiter eniti volentes repulere. Reprehendit pro eo, ac debuit, recedentes Attila, et vix irae temperans, admonuit, *ut spem in virtute reponerent; esse indignum, post tot tantasque res praclare gestas, terga hosti, in principio statim, vertere.* Atque postquam ita oratione, et vultu iras animosque omnium acuerat, poscentibus, *quo vellet, duceret, se secuturos,* totis viribus, animis vteendum ratus, in hostem incubuit.

Oritur hinc cruentum et pertinax proelium, fit similis ruinae strages: occumbunt nobilissimi bello duces, in primis Theodoricus rex Gothorum. Terruisset  
alios,

alios, quod Gothos excitauit. Namque audientes regem cecidisse, periculi omnis immemores, postquam iniectus est timori pudor, spei desperatione quaesuerunt. Ac effecit omnino adeo insolita vis, ut Attila verens insidias, et ultima quaeque, vespertascente coelo, suos ex acie in castra: curribus falcatis munita, reduceret, delecta manu pro portis excubare iuffa, a qua, fere nocturna velitatione, Aetius et Thorismundus, errore in hostes delati, capti sunt. Vtrinque victoriam conelamabant, licet vtrobidem clades accepta esset. Sic, quod nunquam alias, Attila de se suisque fertur timuisse, ut iam pyramidem exstrueret, qua, si quid aduersi eueniret, in incendium mitteretur. Caeforum vtrobique amplius ducenta millia fuisse relatum est.

Secundo a pugna die Thorismundus, quod non dubitabat Hunnos pauore trepidasse, sanguine eorum patri discupiebat parentare. Verum Aetius, qui de futuris callidissime coniiciebat, Gothos non minus, ac Hunnos veritus suadere: *Post tam atrox proelium refouendas potius, ac periculo exponendas denuo vires: abstinentiam omnino esse a vi, hostes inopia rerum aut dilectum iri, aut ultro reddituros: et, cum periculum esset, ne interea fratrum discordia res publica Gothorum scinderetur in partes, e re*

*Tho-*

*Thorismundi fore, si ipse ad capessandum regnum, Tolosam rediret.* Valuit apud iuuenem, callidum senis consilium, quo Attila discrimine, quod non mediocriter pertimescebat, defunetus, triumphanti similis, vastatis longe lateque oppidis, eodem fere, quo venerat, itinere remeauit, ut adeoque abhorreat vero per Frisones, Cimbros, (Danos) Pruthenos, ipsosque Lithuanos cum copiis sese recepisse, et ad Isenacum in Thuringia ludos militares instituisse. Id prorsus incredibile memoratu, ut Sicambriam redierat, Budam fratrem, de quo ante memini, quod a suo nomine urbem modo conditam adpellasset, manu sua interfecisse. Proximus veritate, aduersa fortuna Attilam non tam fractum, quam in bellum exarsisse magis.

Redux enim in Pannonias vindictam spirans, vnde potuit cunque, grandiore priore, cogit exercitum, quo omni adparatu instructo, partim per Norici cautes, partim planiore via Illyrici, agmina in Italiam infundebat; nec enim altera, tanto longiore anfractum habente, versus Rhenum commeare volebat amplius. Concisi, qui ad alpes Iulias restiterunt, Aquileiae, operibus ac praefidio tumidae, copias admoquet. Rex vrbis moenibus ac situ perfecto, longam obsidionem praeuidens, et magno sibi ad caetera impedimento futuram, oratione reconciliare annis est. Sed

452

vt intellexit, se operam ludere, et hos de-  
creuisse ferre obsidionem, ad vltimumque  
pro libertate morituros: summa vi oppugna-  
re adortus est. Ne tamen segniter adiudere  
vni vrbi videretur, copias dividit: partem  
muros quatere iubet, partem ad populan-  
dos agros emittit. Atque factum omnino  
est, illis excursionibus, initium constituen-  
dae vrbis Venetae. Nam cum hostes nau-  
bus carerent, haud difficile accolae maris  
Adriatici, praefidium in insulis reperere,  
vbi primum casas pro necessitate, tum do-  
mos, et postremo ampla aedicia ponebant.  
Vtinum quoque castrum tum muniuere  
Hunni: vt ne incursione repentina vim pa-  
terentur. Frendebat Attila se tantas res  
molientem cogi in vnius vrbis obsidione  
haerere, iamque consilium agitabat, quo-  
niam et pro moenibus haud ex sententia  
sui praelati erant, desperata oppugnatione,  
oppidum deserere: cum forte fortuna vr-  
bem intuens, ciconiam pullos extra muros  
exportare cerneret; quod omen ipse pro  
laeto accipiens, militibus iam animo laban-  
tibus, auem monstrauit, haud dubium vt  
suae victoriae, sic vrbis excidii auspicium.  
Ingens ea re alacritas et fiducia, paullo  
ante territos accendit ad incurrendum. E-  
nixi in moenia, portas effringunt. Tum ve-  
ro non minori caede, quam lugubri gemi-  
tu, et incondito vlulatu vrbs tota reple-  
tur. Nulli parsum aetati: quisquis occur-  
re-

rerat, trucidatur: ignis tectis passim  
iniectus, miserae oppidi reliquiae ra-  
pinis exhauriuntur. Et, ne quid ad ter-  
rorem finitimarum deeffet: Hunnus altissima  
quaeque aedificia adaequat solo, ex-  
guisque momentis, multorum annorum  
opus, quibus Aquileia steterat, excidit,  
ac ruinis dedit. Hoc furore territam Ita-  
liam, cis Padum, vastat, oppida subuer-  
tit, incolas occidit, et velut vniuersa  
perditurus, graffatur, Aetio ad defensio-  
nem Romanam intento, nec se cum pau-  
cis copiis hosti derepente auso obiicere.  
Valentinianus cum diffideret armis tantam,  
tamque feram multitudinem superari posse:  
legatos de pace ad Hunnos misit, quorum  
princeps erat Leo Pontifex, qui ea pru-  
dentia, et animi grauitate ad regem ver-  
ba fecisse dicitur; ut rex affirmaret, si,  
quae polliceretur, reapse praestiterit,  
nihil a se periculi fore Romanis. Id, quia  
multi suorum indignabantur, questi *bellum*  
*non perfici*, sed *negligi*, respondit: *Se quidem*  
*non honesta tantum conditione*, *quae offerretur*,  
*motum*, sed *genii cuiusdam augusta facie*, *qui*  
*sibi necem*, *ni in pacta descenderet*, *vibrato*  
*acinace*, *minaretur*.

Pace inter Romanos statuta, ut erat  
bellicosus et inquietus, plurima memorant  
constituisse; sicut dum ex Italia rediit, a  
Martiano, Graeci imperii Rectore: tribu-

tum extorsisse, contra Alanos, rursus in Galliam profectum, et tam in Asiam; quam Africam expeditionem voluisse fuscipere. Id extra dubium est, inter adparatus belli, quos conubii solemnitate temperauit, diem obiisse supremum. De genere mortis non conuenit. Alii profluvio sanguinis, e natis eructantis, intemperantia, quam se-  
454 cens abhorrebat, conciti, attribuunt; alii Ildiconis sponsae perfidiae, ad tale patrandum nefas corruptae. Utique dum solemnia nuptiarum fierent, accidit, quae multis consciis tacetur primum, mox elata effertur. Pubes Hunnica, velut orbitalis metu ista, moestum aliquamdiu tenebat silentium. Tum, dolore animos lymphante, planctus et vulnus ubique exaudiri, flentes querebantur: *sibi non tantum omnium suae aetatis carissimum Regem; sed etiam, cum uniuersorum, tum singulorum patrem, improuisa morte erectum.* Ora lanceis multi vulnerant, cuncti moesto vultu, singulari pompa elatum comitantur, omnemque memoriae ac nomini honorem habent.

Occubuit annos vixdum quinquaginta natus, nedum ultra centesimum aetatem eius processisse dixeris. De habitu corporis *lornandes*, qui illorum temporum historiam reliquerat: *Forma, inquit, breuis erat, lato pectore, capite grandiori, minutis oculis*

oculis, barba rara, canis aspersus, simus naso, teter colore, superbus incessu, huc a que illuc circumferens oculos. Ferus et barbarus videri poterat, se vix in alios, praeterquam qui ab eo dissidebant; inter suos popularis, erga amicos comis, et singulis, supra quam credas, benignus; humanitatem, ne quid maiestati decederet, eximia grauitate temperans. Non suis, sed alienigenis tributa imperabat, pecuniasque, splendorem pati, quam ostentare maluit, ac prius cogitare, atque conari adsueuerat. Hunc certe et animi, et rerum gestarum magnitudine omnes in Hunnia antecessisse constat. Nihilominus tantum virum iudiciorum publicorum fere opprescit inuidia; quod quem pauci exquisite nouerant, multi omnibus precibus detestati sunt. Filios haud dubie ex Creca procreatios, tres reliquit, *Ellacum*, adhuc patre viuo, *Acatzirorum regem*, *Dengizichum*, et *Irnachum*; ut proin, quae de Chaba et Adarico, et aliis praeterea LX. Attila natis circumferuntur, extra fidem merito reputentur. \*

E 3

Caete-

\* Legi merentur de Attilae rebus gestis, praeter alias PRISCVS *Rhator* in Except. Legat. IORNANDES in reb. Get et regn. Succes. In Chron. PROSPER Aquit. CASSIODORVS, MARCELLINVS Comes, HERMANNVS CONTRACTVS, IDATIVS; su-

Caeterum discordia cum priuatas, tum  
 publicas res pessum ire, ac prorsus euerti,  
 ostendit contentio filiorum Attilae, quippe  
 qui gentes deuictas aequa forte diuidi,  
 et regnari cupiebant. Hoc adeo turbido  
 tempore, dissidiis fratrum in rem  
 suam vtendum existimans Adaricus rex  
 Gepidarum, primus, qui imperiis Hunno-  
 rum parebant, arma corripit, et Ellacum  
 in Pannonia, apud amnem Netad, tan-  
 ta vehementia adoritur; vt vno praelio  
 armatorum ad XXX. millia, cum ipso du-  
 ce, interfecerit. Eo facto, ob residuas  
 bellorum iras, maxime sollicitatis ad de-  
 fectionem animis, voluntarios traxit Go-  
 thos, cum aliis populis, adeo, vt ipse Da-  
 ciam, Gothi Pannonias, quas introierant,  
 455 tenerent, Hunnis partim ad Pruthum et  
 Borysthenem reiectis, aliis apud Martenam  
 in Illyrico consistentibus. Illis Dengi-  
 zichus, his Irnachus, regio nomine pre-  
 erant. Haud dum metu respirarunt, glo-  
 ria maiorum iras acuente, iam vires adu-  
 nant ambo: arma in Gothos expedient,  
 spe pleni; postquam admonentur, non  
 cum iusto hoste, sed cum seruis praelian-  
 dum. At vanam fine viribus iram, tristi-  
 exem-

---

super haec GREG. *Turonensis*, AIMO-  
 NIVS, SIGEBERTVS, FRECVLPHVS,  
 PAVL. DIACONVS, et IVVENCVS CAL-  
 LAN. Dalmata, OLAHVSque in Attila, et  
 DESERICIVS Tom. IV. L. 4.

xemplum docuerunt. Tantum enim eo concursu acceperunt incommodum; ut vix aliqua pars effugeret, perueniretque in columnis ad paludem Maeotida. Ut plurimum fractus, nec tamen destitit Dengizichus, tanta erat animi ferocia, ut Persidem praeteream, iam in Romanos, iam rursus in Gothos inimica mente, proficisci: donicum, fortunam vbique sibi aduersam expertus, dum per Thraciam, omni fere exercitu orbatus, redire tentat, ab Anagasto capite multaretur. Irnachus,  
459  
fratre, cui pacis studia frustra suadebat, occiso, quod miti erat et tranquillo ingenio, a Borysthene ad Tanaim pacate inter suos dominabatur: absumpta tamen praecipua multitudinis Hunnici populi parte, paucae, quae remanserant, aegre se aduersus finitos defendebant: durarunt nihilo secius usque ad tempora, dum Auares ex Asia erumperent. Vbi primum ad societatem horum succefferunt: in spem continuo venere amissa recuperandi, et in Daciam Pannoniasque postlimino redeundi; nec vtique prius arma posuerunt, quam votorum potiti sunt.



---

## LIBER II.

### DE AVARIBVS.

**A**uares ab origine vltima stirpis Hunnicae generati, antequam in Europa fama inclauerant, *Geougenorum* nomine in Asia vocabantur, eminebantque altius. Quodsi Annalibus Sinarum credas, *Moko-  
310 lius*, circa annum Christi Seruatoris CCCX. primus inter eos rempublicam constituit; quam subinde auxerunt plures, sed in primis *Tolumus*: Hic enim latius, quam quod a maioribus acceperat, imperium animo complexus, initio plerosque finitimarum subigere, mox vniuersam Hunnam veterem, quod in obsequium transire abnuebant, summa industria persequi, domitasque prouincias regni terminis adiicere. Ut vero regnum suum angustum ante se, et ignobile, quemadmodum fama rerum, peraeque claritate nominis sui tota Asia redderet illustre: *Chani*, seu *Chagani* titulum sumsit, quod latine Imperatorem, vel Regem interpretaberis. Quoad vixerat terribilis vniuersis erat, cuius posteris continentia bella cum Sinis, ac praesertim Tartaris Topais intercesserant, a quibus, vt olim Hunni, frequenter grauia acceperunt damna, videbanturque fere ad incitas redacti. Semper tamen se sibi, et existimationi aliorum vindicauere,

**429**

uere, quamdiu pacis inuicem studia colebant: verum simul ac odia concordiae, inter ciues succeſſerant; confeſtim ruere in deterius. Id intuentes, qui tum mon-tes Altai accolebant, Turcae, cum ante perpetua Geougenis obſequia prafteſtare ſoliti ſunt: iam auitum gentium morem, noua imperii cupiditate decreuerant mutare. Nec defuit, etſi improbo coepto, fortuna. Geougenos enim exteris pariter, atque iñteſtinis bellis, diu varieque fatigatos adorti, partem morti occumbe-re, plerosque diram feruitutem ſubire coegerunt, caeteros ad Europam versus commigrare.\* Et hi quidem poſtquam, amissa vetere patria, nil ſatis firmum con-tra Turcos putant, per vastas ſolitudi-nes, et indomitos ante ſe populos, nu-mero ad millia ducenta, ad Boryſthenem et Tanaim flumina perueniunt, ſocieta-temque inibi iungunt cum Hunnorū re-liquiis; nec multo poſt amicitiam cum Iu-ſtiniano Imperatore faciunt, qui ſe eis Daciam confeſſurum per legatos recepit, ſi Gepidas, infeftiſſimos Romano nomini, armis inde exigerent. Grata erat Auari-bus, longo iam errore actis Caefaris pro-miſſio: tametsi miſſos ab eo ficta locutos intelligebant, et ipſi etiam longe alia ani-

E 5

mo

---

\* Consule DEGVINESIVM ſupra laudatum, a quo ſua mutuatus eſt Cl. PRAY,

mo agitabant. Icto interim vtcunque foedere, cui Longobardorum arma coniuncta, in Gepidas inuecti ad internecionem delent, et deuictam bello Hunniam Europaeam, hostibus eripiunt.

Diuturna pax, his peractis, videbatur futura. At victores, quod res ex animi sententia euenerat, pacta religione foedera, parum colebant. Ne quid tamen, contra fidem datam, moliri viderentur, ipsi quidem, nusquam se se mouent: in  
 558 terea Cuturguri, socii qui fuerant Auarum, his non imprudentibus, in fines Romanorum procurrunt; et, quod improuisa, nec opiniata expeditio erat, partem ex armatis trucidant, plerosque in captiuitatem abstrahunt, in his Sergium magistrum militiae. Quo facto Longum Murredum, opus Anastasii, aduersum Scythas et Bulgaros editum, qui tum quidem terrae inusitato tremore prolapsus erat, \* nullo negotio superant: oppida nonnulla vi, caetera metu capiunt, cladeque, fuga et terrore latius factis, iam ipsis Byzantinis excidium minabantur. Ex eo stupor omnes et admiratio incessit, vnde tanto imperio, tam internecium bellum;  
 prae-

\* Ante caeteros horribiliorem accidisse etiam memorat EVAGRIVS Hist. Eccl. L. 1. c. 17. Theodosio II. imperante, qui locus dignus est, vt legatur.

praefertim ab hoste iam placato. In hac adeo turbida facie rerum, Belisarius, scientissimus barbari moris, dux iubetur, qui conscripto raptim milite, dum maiorem cogit manum, equites ad exploranda omnia, visendosque ex tuto hostes, praemittit; in captiuos, ut timorem caeteris iniiceret, grauius animaduertit. Superabatur multitudine, animum ad dolos intendit, capituloque in ipso negotio, prima specie ridendum, at euentu salubre consilium. Sterni iubet, quantae possent cunque, arbores nouellas, et frondes betularum, atque a milite trahi, via puluerulenta. Cuturguri hostis aduentantis numerum, pulueris nube metiti, progredi ausi non sunt; sed pannico quodam perculsi terrore, pars, seruatis ordinibus, retrocedere, alii incertis itineribus ad suos properare. Belisarius de fuga inimicorum edoctus, ad persequendum neque diem, neque noctem intermittit: ac multos omnino non minus ea celeritate, atque nouo inuento, quod tota post haec Graecia celebratum est, occupauit. Ex quo intelligi potest, in bello ducis prudentiam multis armatorum millibus anteferri debere. Quamuis vero tali modo victi sunt hostes: maluit tamen Iustinianus, pro sua sapientia, non nihil aeris, genti auri percupidae, ut incursionibus in agros Romanos abstineret, dare

mu-

muneri, quam continentia, et incerta e-  
uentu bella administrare. \*

561

Interim quum haec in oriente fiunt, in occasu aduersus Sigibertum, Francorum regem, (quam ob rem, parum constat,) Auares arma ferunt; sine dubio implorati a Saxonibus, dominationem Francorum haud aequo animo tolerantibus, spe ampliandi regni sui eo diuerterant: pro multitudine enim hominum, et pro gloria belli, angustos se adhuc, in Europa, fines habere arbitrabantur. Parum attameni prospera fortuna initio confixerant: qua illi aduersitate necquicquam territi, cum bellum ducere perseuerarent, effecerunt; vt Sigibertus, cum vniuerso exercitu, angustiis locorum clauderetur. Breui in castris commeatus deesse, miles animo deficere, omnia ad interitum spectare. Auares magna vi auri pacem venalem offerebant, quae grauis quamquam, et dedecoris plena Franco videbatur: attamen, quia miles ad defectionem inclinabat, sicuti hosti luberat, conuenit.

Commo-

---

\* Enarrant haec prolixius THEOPHANES in Chronogr. MENANDER L. i. in Excerpt. Legat. ZONARAS et AGATHIAS. DESERICIVS ad haec Tom. IV. Lib. V. part. 2. c.

Commoda ea res pro Auaribus accidit. Alboinus namque Rex Longobardorum, a Narsete, Romano duce, ad possidendum Italiam, quodsi suas vlcisceretur iniurias, excitus, sociis Auaris omni Pannonia ea conditione cessit: *vti*, si contra, ac animo destinarat, redire cogeretur, sine vi, malo que dolo, regionem sibi redderent. In quam rem quum nostri vltro fidem dedissent: Longobardi ex Pannoniis demigrarunt, sedesque in Italia superiore ita constituerunt; *vt* nunquam, unde exierant, reuerti cogitarent. Auaribus tam late patentem regionem, parum exinanito solo genitali, vel ea gratia facilius proniusque fuit, incolis, quasi examine replere: quod societate Hunnorum, quos in Illyrico consedisse praedixi, aucti sunt maximopere. Erat praeterea illa tempestate iuuentus Auara tantae foecunditatis, *vt* finibus angustioribus minus valeret contineri. \*

Ferociores tam memorabili rerum sua- rum incremento facti, legatos, quorum princeps Targitius, caeteris, in gente sua, negotii cum Romanis tractandi peritior erat, ad Iustinum Imperatorem mittunt postulatum: *Sirmium urbem, quae sibi iure de-*

*he-*

\* DIACONVS de Gestis Long. L. 2. c. 10. seqq.  
conf. Cl. ASSEMANVS in Orig. Eccl. Slau.  
te ECCARDVS Rer. Franc. L. 8.

beretur, ut traderet, simul cum agro; tributa  
 item solueret annotina pariter, ac, quae negle-  
 etia huicdum fuissent. Negant se quicquam  
 vel concessuros, vel datus Romanis. Sa-  
 tis id erat belli, cuius nimium cupidus  
 hostis erat, confandi. Chaganus proin  
 subito dena suorum millia Dalmatiae im-  
 mittit ob eam iram, simul ut praeda mili-  
 tem aleret. Irritat etiam varie de indu-  
 stria Graios, si forte accensos indignis cla-  
 dibus subiectorum, trahere posset ad ae-  
 quum certamen. Intra armorum strepi-  
 tum de induciis vtrinque agitur; conditio-  
 nes non conueniunt. Postquam Auares  
 sensere, bellum quiete, quietem bello e-  
 ludi: Tiberium, Caesariani praefectum e-  
 xercitus ex improviso telis incessunt, nec  
 ante desistunt, quam is, qua ad fugam  
 via patebat, erumperet. Post hanc dimica-  
 tionem extemplo pacis consilia inita sunt,  
 ictumque foedus, quo superior res Aua-  
 rum erat: permisum quidem Romanis  
 Sirmium; at millium numorum LXXX. vt  
 in singulos annos Graecia nostris solueret,  
 576 constitutum. Vbi hic ab armis discessum,  
 Chaganus ad Slauos Istriae legatos misit  
 de societate. Hi pro sua ferocia, contra  
 commune ius gentium, missos interficiunt.  
 Indigne id, vti oportebat, tulit Auar, et  
 ira concitatus, iniurias manu vindicatu-  
 rum decreuerat. Inter has solicitudines,  
 cupido Sirmii occupandi animum denuo  
 in-

incefferat. Astu res agenda erat, nec is  
deerat callide semper cogitanti. Velut so-  
los aduersus Slauos; qui se offenderant,  
expeditionem suscepturnus, fabros rogarat a  
Tiberio Caesare, ad faciendum pontes  
in Istro et Sauo fluminibus, quos pro a-  
micitia nuper facta impetrat etiam. Per-  
fecto intra paucos dies opere, copiae Sir-  
mio admouentur. Timet de salute sua,  
vrbis Praefectus, portas claudit: et, *quid Chaganus in animo habeat?* quaerit per in-  
ternuncios. Hic adpellatus respondit: *vrbi nihil nocitum iri; in eamque rem se suamque fidem interponere.* Perhibent inauditis  
vltimisque execrationibus adiurasse, se fin-  
cera fide, quae promitteret, seruaturum.  
Nihilo secius contra fecit, ac tanta religio-  
ne pollicebatur. Incautis enim omnibus,  
nec quicquam amplius hostile timentibus,  
vrbem omni commeatu priuat: atque graui  
obsidio oppidanos et praesidium ad vlti-  
mum inopiae adducit. In tempore adhuc,  
res quo statu essent, ad Tiberium Caesa-  
rem, refertur. Hic, quod plerumque in  
atroci fieri affolet negotio, Praefectum  
edocet: *Daret operam, ne quid ciuis et res-  
publica detrimenti caperet; neu suas, vrbis ex-  
ercitusque fortunas in dubium deuocaret; sed,  
quodsi eo plane angustiarum perueniretur, tra-  
deret potius vrbem, quam cum ciuibus perderet.*

Ita

§82 Ita concessa amplissima vrbs Auaro, et, ne quid peius eueniret, praeter annum tributum, pecunia, quae inde a triennio haud depensa erat, sancte adpromissa. \*

Chaganus nihilominus, quod in imperium Graiorum animum intenderat, ab armis diu nequibat conquiescere, et, quum se nullae darent, dedita opera, cauffas inimicitarum quaerebat. Mauritius, qui tum Orienti praeerat, quia animaduerterebat se auaritiam hominis satiare non posse (iam enim extra regia munera M. auri libras se daturum promiserat) coactus rerum necessitudine, statuit armis certare potius, quam pacem ingenti & imperii dedecore, et pecuniae iactura mercari. Ut primum Auarus compererat Romanos bellum comparare, repente fines Thraciae cum magna manu inuadit, multos mortales, cum pecore atque alia praeda, capit, aedificia incendit, cuncta ad ipsam usque Graeciam hostiliter vastat. Ne quid grauius respublica Romana pateretur, legatus ad Chaganum mittitur Commentiolus, bellum ut pace mutaret. Ferocioris vir ingenii, et magis militari, ac iuris ciuilis disciplina imbutus, praeceps insuper in iram, grauius, quam pati hostis quiuerat,

lo-

---

\* Agunt de his MENANDER l. c. et SIMOCATTA, l. 1. c. 3. seqq.

loqui incepit. Excanduit ea perorandi libertate Chaganus, et vix sibi temperauit, quin legatum violaret. Cum maxima ira, quas sibi fieri existimabat, iniurias vltum ire festinat, occurrit Elpidius, orator priore mitior. Hic dum promissis hostem explet, et modum pecuniae duplicat: inducias paciscitur, quae tamen minus erant diuturnae. Amicitia enim in autumno confecta, vix extremum hiemis abierat, quum iam vniuersa rursus ad vim spectare.

Nolebant videri Auares contra fidem agere: Slauos, qui id temporis Pontum Euxinum adiacebant, in perniciem Graiorum subornant. Hi belli, ac quietis amantiores, impetum animi expleturi, occasionem amplectuntur, et tantum in agris vastandis, incendiisque faciendis hostibus nocent; quantum audacia militis spoliorum audiissimi efficere poterat. Compescuit tamen furorem victoria exsultantium Commentiolus, Praetor Caesareus, et profligatis semel atque iterum inimicis, non modo ab omni hostili populazione tutas reddidit Romanas prouincias; sed etiam pacem annorum quinque confecit. His, quieta Graecia, transactis, vel quod Bocalabra, regii accusatus scorti, ex foedere non reddebat, vel quia pecunia vectigalis negari visa est: bellum suscepit est, vario tractum euentu. Chaganus

183

586 primum multas expugnauit vrbes; post, vbi ad pugnam res venit, inferior discesserat. Commentiolus enim partito exercitu, diuersis in locis palantes, et ad praedam, quam proelium intentiores, partim caedit, alios in fugam coniicit, Chagano aegre fuga periculum euitante. Suis redditus, frendebat se oppressum magis, ac victum. Non alia re, quam celeritate feliciorem se fore ratus, derepente legatum Commentoli, victoria fidente, adgreditur, fundit, et in acie capit. Tali successu in spem rerum maiorum ingressus, agrum Thraciae cum exercitu populabundus iniit, et Murem ad vsque Longum processit. Occurrit ex improviso Commentiolus, cum magnis copiis, et opinione celerius hosti ob oculos venit. Quod praeter destinationem res acciderat, vtrinque insidiae collocatae viuae; incessit ambo timor: retro itaque cedunt, infecto negotio. Tam inopinato casu, si non finis belli, saltem modus positus est. Auares, quo liberius Romanos vexarent, in spem praedae gentes Slauicas, quae  
588 mare Balticum adiacebant, sollicitant: modum vero, vt pacem dura conditione exasperarent, pecuniae a Caesare soluendae  
591 duplicant. Mauritius bellum, quod declinabat, paci flagitiosae antefert. In ducem copiarum elititur Priscus, iubeturque quantum in se esset, periculum a finibus propulsare. Ut res gerebatur sic

com-

composita; vt neque pax, neque bellum fieret.

21210

Inter haec Auares in Thuringia in- 596  
certum, quas ob caussas, depugnant,  
Childeberto mortuo: fortasse an, quod ius  
suum, Winidis in potestatem redactis, ar-  
mis volebant exsequi. Certe non alias  
nisi accepta pecunia, quantam a Bruni-  
childi regina extorquere poterant, rediere.\*

His in Saxonia gestis, Priscus Istrum 597  
traicit, et specie venationis, bellum,  
quod in Romanis prouinciis propulsari  
debuisset, in hosticum transfert. Que-  
ritur iniurias Chaganus; at quum se  
spe frustrari videt, plenus irarum, Sin-  
gidoni copias admouet, ac inde Thra-  
ciae agros praedatum profectus, quantum  
maximam vastitatem potest, caedibus in-  
cendiisque Byzantinis procul ostendit,  
sperans se Priscum vel in gratiis ad sua tu-  
tanda coacturum. Sed prius se, tum qui-  
dem, aetas circumegit, quam quae cupi-  
uerat, exsequi valuit. Vere ineunte Dalma- 598  
tas, quod suos furtiuis expeditionibus vexa-  
rant, impetit. Equites leuis armaturae emis-  
si late caedem, fugiue quietae plebis fa-  
ciunt, palantes interimunt, vrbes occu-  
pant; plerasque diripiunt, et, vbi in inte-

\* PAVL. DIACONVS Lib. IV. c. II.

riora regni ire pergunt; nonnulla vi, alia voluntate sibi adiungunt. Diues iam populationum, ne quid, quorum potitus erat, socordia amitteret, praedam immanem ad suos iubet deuehi. Edoctus ea de re Priseus, Ganduem Tribunum militum, regionis, qua iter faciendum erat, apprime gnarum, ad ea quae euehebantur, si quo modo posset, eripienda, mittit. Hic equitum celeritate, per compendiosos tramites, angustias locorum, qua hosti transeundum erat, praeoccupat: et, quum in loca aspera penetraffet, insidiis excipit, interemptoque praesidio, praedam omnem ad Priseum reuehit. Etsi fracti eo non sunt, impediti attamen Auares, quominus maiores in Dalmatia progressus, cuius iam mediterranea in suam redegerant potestatem, facerent. Tamen non effugit inuidiam populi Graius, amissum Dalmatiae aegre fermentis, insimulatusque, quasi praedae magis, quam bello intentus esset. Ipse quoque Caesar ignauiam ducis pertaesus videbatur: quare totius belli molem trans Istrum, vtilius in hostico dimicare existi-  
599 mans, transferre statuit. Non poterant haec consilia celari Chagano, vigilanter et callide bellum administranti. Ut ne ergo itaque praeueniretur, in Moesiam prior agmina infundit, et peruaftatis agris, vrbum Tomeam admoto exercitu, operibus cingit. Dum vineis testudinibus-  
que

que constitutis, proprius iam muros accessit, missi ex vrbe, Byzantium vene-re nunciantes: Auaribus resisti non posse, deditio nemque futuram, ni exercitus ma-ture subueniat. Caesar periculum edoctus Commentiolum, cum expedita manu, quam maximis posset, itineribus, ad ferendum obfessis auxilium, properare iubet. Chaganus, simul vt de profectione Gra-iorum cognouit, derepente et ferociter fese festinantibus offert, ac fessos de via adortus, partem sternit, alios capit, vix ipso Duce, cum paucis, vt cladis nuncius effet, elabente. Audita ea legionum per-nicie, ingens metus ac trepidatio cunctos incessit: vt ipse Imperator, in hac tanta-rum exspectatione rerum, praesertim Constantiopoli sollicita, ex Europa in Asiam traicere consilia agitaret. Sed re-perti, qui maxime nitabantur, vti Cae-sar cum exercitu Longum Murum, ci-ues moenia defenderent: id si factum effet, et copias interea ex prouinciis con-uenturas, cum animaduerterent, de salu-te Graeciae dimicari; et hostes eadem re fore tardiores, si viderent obiici cum vi-ris munimenta editissima. Atque valuit omnino, in re iam desperata, salubre con-silium. Fit celer vndique concursus iu-uentutis, pro aris focisque dimicaturae. Interim fama percrebuit, in castris Aua-rum diram graffari pestem, magnam exer-

citus partem, et Chagani ipsius septem liberos, paucis diebus elatos. Non dimittunt, quam sibi peropportunam estimabant, occasionem Romani; sed legatos pacis gratia ad Auares mittunt: qui dum sentirent, non negari pacem, si emere vellent; grandem pecuniae summae, (alii vicena, quinquagena alii aureorum millia solitae adiectam scribunt) promittere malebant, quam Imperium periclitari; cuius limes, obiectus hostibus Ister constituebatur. Tametsi vero Mauritius, publicae salutis ergo, aduersarios magnis multisque onerauerat promissis, et ingentem aeris vim, ob eam rem, profuderat: exili nihilominus pretio XII. veteranorum millia, in proelio aduersus Commentiolum, de quo supra dixi, capta (quos dein hostis ira percitus, ad unum necandos curauit) redimere nolebat; quod insignem misericordiam patribus ac populo mouit: Caesari contra, auaritiae et vindictae suspecto inuidiam confluit. Hanc ille primum excusatione lenire, mox illato Auari bello opprimere studuit. Suafu enim Commentioli, qui perdit exercitus accusabatur, contra pacem nuper iactam, partem copiarum Istrum transmittere iubet, quae felicitate usq; inimicos ripas fluminis obseruare iussos repellit; ac, ne insultibus pateat, castra vallo atque fossa munit. Auares poenitudi-

tudine male actae rei ducti, munitio-  
nes Romanas expugnare constituant. Iſti,  
hac re animaduersa, de molimine hosti-  
li Priscum, qui prope aberat, Praefe-  
ctum Caesaris, admonent, qui nulla in-  
teriecta mora, Romanis praesidio venire  
maturat; et in tempore ad castra dela-  
tus, milite extra vallum educto, signum  
dat proelii, gloriosius existimans, acie  
instructa, dimicare, quam intra munitio-  
nem insultum opperiri. In eo proelio  
tanto plus valuerant virtute Romani, ut  
ad quater mille Auarum interficerent; cum  
ex ipsis vix amplius tercenti desiderati  
sunt: nec tamen adeo perterrituerunt, quin  
sequenti iterum luce pugnam facerent,  
at maiore, quam prioribus, clade suorum;  
amiserunt enim plus octo millia. Dum  
haec in citeriore Istri fluminis parte  
funt, Chaganus, in ulteriore, Romanas  
provincias ingressus, populationes satis  
prospere ac tuto faciebat, dabatque ope-  
ram, ut aduersarios intra limites suos  
contineret. Verum postquam suos premi  
audit, regno metuens, ne abeffet in di-  
scrimine extremo, traecto flumine, iter  
ad Priscum intendit: et, quia ter conti-  
nuis diebus Auaros profligatos auditum est;  
ira sustineri non potuit, quin extemplo  
configerent. Subiuerant paullo ante  
colles Romani: quocirca pronius erat,  
facto ex editiore loco incurſu, in hu-

miliore constitutam Auarum aciem perfringere, ordines turbare, et tandem in loca vligine profunda, quae tergos claudebant, propellere: ut paucos fuga seruaret; caeteri autem occisi, aut aqua lutoque mersi sunt. Perhibent hostem eo praelio XV. millium iacturam fecisse.

Sua recens, et suorum clades superior Chagano furorem potius, quam audaciam accedit. Nam ad oram Tibisci digressus, postquam militem ex fuga collegit, et nouis delectibus, paucis diebus multos contraxit, tricesimo a congressu die, rursus infesta signa Romanis infert. Enim uero secundi certaminis fortuna eadem, quae et prioris fuit, aduersario Tibiscum transmittere compulso. Priscus, ut cognosceret, quo demum consilia Chagani euaderent, Tribunum militum, cum parua manu fluuium traicere iubet. Hi vt in Gepidarum, Auarum qui fuerant socii, villas perueniunt, animadversum est, per omnem tractum illum dies festos celebratos, ac ludos cum commessionibus magis, quam arma ostentari. Occasione vtendum rati, pauci multos adgrediuntur, tantaque acerbitate gravantur, vt nec ab innocentibus iram belli abstinerent. Ut millia circiter XXX permit, ad Priscum retrocessit, confictui, qui parabatur, intersuturus. Namque Chaganus,

ganus, qui prius omnia pati decreuit, quam inultum bellum sepelire; et si aliquoties tentatum antea certamen secus cesserat, Slauorum passim concurrentium armis fretus, occupauit Tibiscum traducere exercitum, et quicquid vel domesticarum, vel exterarum virium erat, Prisco opponere: ut aut illis copiis defendi posse Avariam, aut spem nullam aliam esse, sat satis declararet. Verum crudeliter interfectorum Romani nominis legionum, hac quoque vice poenas dedit. Nam, tametsi plebem inconditam consuefecerat paulatim ordines habere, signa sequi, imperia obseruare, item alia militaria facere: tamen quod illa hebes, et agri pecorisque magis, quam armorum assueta erat, ubi rem accerrime agi oportebat, fugam facit, neglecto Ducis imperio. Eo facto praeter occisos, numero ad XVII. millia capta sunt, et in vincula coniecta. Chaganus tamen, callido vtens consilio, si non vniuersos, Auares saltim recuperavit. Priusquam etenim de ea clade nunciis certior fieri potuit Caesar, celerime quosdam ex suis Byzantium misit, extrema quaeque minaturos; ni captiuos, quos dolo magis, quam virtute se amississe simulabat, redderet. Imperator rerum gestarum parum gnarus, minarum, an tranquillitatis publicae nomine magis permotus, incertum, Prisco negotium dat

restituendi captiuos. Ut inuentum hoc Avaribus magnae erat laetitiae : sic Priscus, sexies eo anno viator, iureque in primis habitus ducibus, eam ob rem in suspicione venit de perfidia. Opinari enim plerique videbantur, magis astutia Ducis, ac iussu Imperatoris redditas legiones.

601 Quicquid eius est : orbatus certe praefectura Thraciae, cui Petrus, frater Caesaris, vir infelix, et rei militaris imprudens, sufficiebatur. Id intuens Chaganus, tacita laetitia animum incensus, quod cum Duce, haud quaquam Prisco simili, res sibi esset futura. Pulso itaque, qui iam animum occuparat, terrore, ad militem conducendum mittere, socios conquirere, Romanos, qui vltro intulerant bellum, et saepius vicerant, prouocare, quin ipsum imperii caput Byzantium animo inuadere. At enim uero quam ferox in renouando bello, tam infelix in administrando fuit. Multitudo enim, quam praedae magis et populationum, ac victoriae concitauerat spes, seu praeteritarum memoria cladium mota, seu pecunia a caesarianis corrupta, vertit retro ad Chaganum, ab Romanis, odia : nec vel imperio, vel oratione amplius, vt in obsequio maneret, adduci poterat; vt necesse fuerit Auarri, festinata velocitate, vnde venerat, contendere. Nec sic tamen Chaganus ( ea animi vel duritie, vel constantia fuerat ) defum-

summa rerum desperauit, opinatus, aut vi,  
aut dolis sese casum cum vindictae, tum  
victoriae inuenturum. \*

Ac commodum omnino euenit, Mauricio Caesare, per seditionem, a Phoca  
interempto, Graios Perfico implicari bel-  
lo, vsque eo, vt Auares non modo vires  
farsiendi, sed plane tributum a novo Im-  
peratore exigendi ansam nacti fuerint. 604

Tantum ad mala domestica augenda,  
et vires hostium, iam prope collapsas,  
restaurandas intestinae, queis Romani tur-  
babantur, seditiones valebant. Tali modo,  
vt in melius ire res suas vidi Chaganus;  
quod non nesciebat, satis se iam copiarum  
habere, non modo ad propulsanda, sed et-  
iam interenda bella; sicuti Agilulpho, Lon-  
gobardorum regi, ad capiendam, quam ob-  
fidione vrgebat, Cremonam auxilia submi-  
fir; eoque promptius, quod putabat ea re ex  
magno contemtu, in priorem aestimationem  
apud exteros venturum: non dissimiliter  
posthaec Gisulfum, Foroiuliensem Ducem  
fregit, fortunis omnibus expulsum. Vni-  
cum adhuc victo superabat oppidum, non  
minus arte, quam ab natura munitum. Cir-  
cumfederunt in eo hostes vxorem Ducis,  
quae

\* Scriptores harum rerum sunt SIMOCATTA Lib. VI. sqq. THEOPHANES in Chronogr. ad Mauricii. ann. alii. conf. DESERI- CIVS Tom. IV. Lib. V. part. 2.

quae pro ingenita lasciuia, dedituram se  
vrbem respondit; si Chaganus matrimonium  
sibi fide promitteret. Accepta conditione,  
traditur sine vi oppidum: ducitur ad Re-  
gem Dux: matrimonium, prout conuentum  
erat, contrahitur. At Chaganus, etsi pro-  
ditio pergrata fuerat, et perfidiam, et libidi-  
nem mulieris detestatus, in sequenti, post  
initium connubium, luce, exemplo poste-  
ritati violatae pudicitiae et caritatis pa-  
triae futuram, primo suis prostituendam  
tradit, tum palo viuam infigendam. \*

Inter haec Caesar Heraclius, ne a Per-  
sico bello contra Chosroem abstraheretur,  
legatione, de pace redintegranda, cum Au-  
uare agit. Simulat hic amicitiam, vsque  
ad perniciem aduersarii dolos conquire-  
ret. Relato Byzantium nuncio non in-  
gratum barbaro pacis nomen, ingenti  
laetitia omnium perfunduntur pectora.  
Caesar subito animum conuertit, ad ho-  
stem, quem amicum putabat, pro hospi-  
te comiter accipiendum. Locus collo-  
quii Heracleae decernitur; quo pro  
regali munificentia singulari adparatu  
cum ludorum, tum epularum Chaga-  
num excipere studebat, et animum hilas-  
titudine onerare. Concurritur eo loci  
diverso studio: Caesar plenus laetitia-  
rum

---

\* DIACONVS HERMAN. CONTRACT.  
et SIGEBERTVS ad an. 611. 616.

rum, Auarus insidiarum: ille longuin ordinem Citharaedorum, lusorumque Circensium secum trahebat; hic incertum bellum timens, consilia ad fraudem transfert, cupiens Heraclium, sine tumultu, incolumem in suam potestatem venire. Contra huiusce modi perfidiam, amicitiae nomine testam, Romani consilio satis prouidere nequiuierant. Eunt bona fide, nec quicquam hostile expauent eo usque, dum iam hinc, iam illinc insidiis se circumuentos animaduertunt. Tum demum, ubi videt se fide deceptum Caesar, in primis effugere periculum, modo hoc, modo illud cogitatione versare, et qui sibi rebusque suis consulteret, consilia captare. Subit dein animum dolus vestitum permutandi. Nec is, ut postea apparuit: frustra excogitatus erat. Posita enim augusta veste, agresti amiculo, hirtaque tunica circumdatus, diademate, ne decus imperii abiiceret, cubito subligato, in tutum, elusis vitae suae insidiatoribus, incolumis peruenit. Male cessisse fraudes suas iniuste ferentes Auari adparatum comicum, et, quae adlata erant ad pompam faciendo, diripere, spectatum ludos venientes pro hostibus habere, oppida, viros, sataque in agris posita depopulari, quae auferri non poterant, incendere, viros, foeminas, et sine discriminne cunctos, in captiuitatem tanta ferocitate rapere,

ptare, ut numero ad CCLXXX. M. abducta plerique memoriae proderent. Quamuis iam tali modo plurima in Caesarem eiusque ditionem illata sint mala: adeo tamen, quia prae Europaeo Asiaticum malebat bellum, ab amicitia cum Auaribus contrahenda alienatus non est, ut mitteret contra denuo legatos pacis gratia. Emolliuit ferocientem Chagani animum tam mira Caesaris humanitas, et modesta de iniuriis querela: igitur respondit: *Se depositis hostilibus odiis, nihil posthaec aduersi suscepturn: quin et detrimenta, quae fecisset, repensurum.*\* Vtrisque foederis sanctio, qua Romanis, qua Auaribus grata et utilis fuit: illis, licet millia numerorum CC. pendere cogerentur, quod in Europa ab interneciuia liberi vastatione, maiori contentione bello Persico inferuire poterant; his, quia Slavi Winidi, Albis et Viadri accolae verius, quam Carentani, arma capere, et irarum speique pleni cuncta potius, ac feruitatem amplius ferre Auarum instituerunt. Ducem illi nacti sunt Samonem, humili quidem loco ortum, sed consilio promptum, et manu forteim, qui eousque bellare perseuerauit: dum se suosque ex dura feruitute (nam et solito maior imperabatur pecunia, et vxores filiaeque parum pudice habebantur) in libertatem

---

\* THEOPHANS et Chron. Paschale in Heraclio NICEPHORVSque in Breuiario Hist. p. 8. seq.

tatem vindicaret. Improbabile non est, plures Slauicas nationes hoc exemplum fecutas, quorum opera demum regnum Marahanum, seu Magnae Morauiae constitutum est.

Interea dum Auares in occidente infelicitibus auspiciis res gerunt, Heraclius in oriente prospere contra Chosroem pugnans, fere debellauit. Offensus fortuna exceduit Persa: et, vt aduersario victori aegre faceret, et arma distraheret, Chaganum in societatem perducere tentat. Nec lusit operam: Nam etsi Auarus non multo tempore ante, vt supra memoraui, spoponderat, se sine dolo malo conditionibus pacis usurum: nihilominus, siquidem longa iam cupidine Byzantii potiundi trahebatur, et clades a Prisco accepta altamente reposta erat; impetum animi fidei anteposuisse videtur. Dum itaque Sabarus, dux Persarum illinc, sicuti inter eos conuenerat, Chalcedonem urget, Chaganus hinc et mari, et terra Constantinopolim, quia animos ciuium, qua spe, qua metu frustra tentauerat, tanto infestius oppugnat, quo citius in sua potestate cuperet; ne fors prosperis Heraclii in Asia rebus, infecto negotio discedere cogeretur. In irritum tamen coeptum et conatus omnis cecidit. Nam postquam nauigia, quae, si qua parte urbem inuadere possent,

tenta-

tentabant, pleraque demersa; alia puppes auertere compulsa sunt, et Slauica auxilia grauiter adflicta. Iam Caesaris etiam aduentus adpropinguabat: Chaganus anno  
 630 mae caritatem, et autumni extremum caufatus, incensis operibus, quae statuerat, non sine maxima indignatione animi, retro se, vnde profectus erat, recepit. Atque ab hoc omnino tempore res Auarum, in oriente sensim ad iniqua inclinari coepitae sunt. Enimuero animaduersum est, vbiuis gentium proximarum fortunam sua mobilitate, quos olim, rebus supra vota fluentibus, extulerat, iam velut in ostentationem fragilitatis humanae, adortam demergere. Post Winidos, quorum ante memineram secessionem ab eis fecerunt Bulgari, a Volga flumine, ad quem primitus colebant, initio Vlgari adpellati. Intercessit inter hos, et Auares de duce deligendo controuersia, quae in armorum vim eruperat. Victi acie Bulgari, pars in fidem  
 635 Dagoberti, Francorum Regis, sese tradidit; alii demum, duce Cubrato, ad Romanos transiuerunt, polliciti defensionem Istri aduersus hostium incurSIONES. \*

640 Breue ab hoc intercesserat spatium cum Chrobatorum atque Serblorum legati ad Heraclium venerant rogatum, vt, siquidem

---

\* THEOPHANES l. c. FREDEGARIUS c.  
 71. AIMONIVS L. 4. c. 24.

dem angustiores pro multitudine limites domi suae haberent, liceret parti gentilium, bona eius venia, in Romanis provinciis sedes et domicilia collocare. Nullo negotio, quod volebant, impetrarunt: facile tunc Romanis de alieno largientibus, et lubricae fidei, tutiorem amicitiam praferentibus. Concessa itaque Dalmatiae, quam tum Auares tenebant, occupandae potestas. Chrobati optato nuncio laeti, abiecta cunctatione, summa industria constituerunt, quae non modo ad proficisciendum, sed ad vim etiam repellendam (nam sciebant cum Auaribus armis sibi dimicandum) pertinerent, comparare. Ab omnibus tandem rebus instructi, quinque Ducibus, in queis Clucas et Chrobatus memorandi, profectionem indicunt: penetrant in Dalmatiam: gerunt bella annis aliquot: vincunt ad ultimum Chrobati, et Auaribus vel interfectis, vel, qui in societatem transire nollent, pulsis, Dalmatiae imperium occuparunt. \*

Hinc electi ad solem occiduum terminos ditionis suae latius proferre conantur; hic sarturi, quod alibi amiserant. Sed initio fere inter praedas solum, et damna Theodoni, Boioariorum regulo, inficta,

co-

---

\* CONSTANT. PORPHYROGENITA de Admin. Imp. c. 30. seqq.

conatus omnis constitit. Tempore aucta  
 potentia: Bulgarorum pars rursum ad Aua-  
 res accessit. Eo valentiores facti sic ex-  
 celluerant, vt Grimoaldus Rex in Italia  
 Longobardorum, subsidium horum inuo-  
 caret aduersus Lupum, Dux qui erat  
 Foroiuliensium. Chagan castris suis  
 vtendum ratus, bellum, et si male vexatus  
 erat, paci anteferre non dubitauit. Prae-  
 grandi suorum numero Italiae infusus, tri-  
 dum parum feliciter pugnat: quarta de-  
 cum luce, magno vtriusque exercitus  
 sanguine, praelio graui Lupus superatur;  
 ipse vel in acie, vel in fuga interemptus,  
 reliquiis exercitus aegre sese munitis locis  
 defendantibus. Praelio superior Auarus,  
 tum clade suorum maiorem in modum ex-  
 cerbatus, tum rebus secundis ouans, victam  
 prouinciam pro sua habere instituerat. Gri-  
 moaldus vbi animaduertit, quem contra  
 hostes conduxerat, ad se versus exercitum  
 tendere, primum oratione reconciliare,  
 et, vt sinibus decederet, rebus confectis,  
 orare: id quum hand procederet, ad frau-  
 dem, cuius potens erat, sese conuertit.  
 Quanta maxima vi potest, copias cogit:  
 pauciores, quam vt aduersariorum multi-  
 tudini opponi possent, coeunt. Lustran-  
 tur data opera sub oculis, qui tum forte  
 aduenerant, legati Auarum, et iidem,  
 diuersa indui veste, magni exercitus spe-  
 ciem efficiunt. Quam ridiculum initio  
 hoc

hoc videri poterat inuentum, tam salubre  
exitu fuit. Chaganus enim de Longobar-  
dorum multitudine, a legato, qui omnia  
in maius extulerat, edocitus, ne quid si-  
nistri occiperet, e re sua putabat, cum  
omnis generis praeda, quam accumulaue-  
rat, in Pannoniam reuerti. Auerterat ta-  
men iter haud parua multitudo in Rhae-  
tiam, quam auide et effuse populabat,  
Alpici cum viderent sparsos et incompo-  
fitos, totum denique agmen praeda gra-  
ue; profectioni magis, quam armis inten-  
tum: (existimabant quippe iam neminem  
resistere ausurum) postquam angustias  
montium intrarant, inopinantes inuadunt,  
ingentem terrorem caudemque faciunt, et  
manubias hosti abreptas in publicum refe-  
runt. Ab hoc tempore vel nihil memoria  
dignum, annis fere L., egerunt Auares  
vel negligentia factum est Scriptorum, vt  
res silentio praeterirent.

Inter aduersarios principes Carentani  
ad coarctandum vexandumue Auares ani-  
mum intendisse videntur; vt pote qui exi-  
stimare coeperunt, Auares magnificos at-  
que valentes ex aliorum duntaxat socordia  
redditos. Varia fortuna res gerebatur,  
quoad Boruthus, quem ciues sui summae  
rei praefecerant, debellaret. Hic enim ne,  
si fidelis contra tam potentem et ferocem  
hostem pugnare perseueraret, se suas-

que, et exercitus fortunas in dubium deuocaret, ab Hugiberto, Duce Boioario-  
rum, opeim efflagitabat. Quantumuis in-  
uenti, qui suaderent, ne aliam rem pe-  
riculo suo, curaret; neu florentes res suas,  
Boruthi fere perditis misceret: hic tamen,  
vicini damna, sua reputans, ad belli so-  
cietatem cum numerofo exercitu venit.  
Tum, signis collatis, pugnatum ingenti  
caede vtrinque, plurimo sanguine; fusi  
extremo Auares, in Pannoniam se aegre  
recepérunt. At, ea re non modo non  
restinctum bellum, sed etiam inflatum  
videbatur. Hugiberto quidem viuo, vsu  
sapientiaque praestante, nihil hostile ten-  
tatum est aduersus Boioarios; quamuis  
omnis occasio quaereretur eis, vtpote ac-  
ceptae calamitatis, auctoribus, nocendi.

737 Eo mortuo, cum magnis copiis Noricum  
iuasere, captum Laureacum, florentissi-  
mam eo tempore urbem euertunt; post  
diuites spoliis, satis se iniuriae parentasse  
rati, et plus cladium, quam acceperant,  
intulisse, ad suos retroeunt.

782 Annis postea, ferre L., quum amici-  
tia vtrinque coaluerat. Tassilo dein, qui  
Dux erat Boiariae, odio diuturni imperii,  
quia solus resistendo impar Francis erat,  
externa auxilia circumspiciebat. Spiritus  
subdebat vxoris Luitburdae maiestas, quae  
Desiderii Regis Longobardorum erat filia,  
et

et iram acuebat, quotidianis verborum irritamenis maior redditia iniuria, quam Carolus socero regia dignitate priuato, inflixerat. Vehementer tantis permotus negotiis multa cum animo suo voluebat; maxime vero Auarum sibi gentem, vt ante inimicam, conciliabat: vti peregrinis non minus, ac domesticis opibus tutior, cum inter cives, tum contra aduersarios effet. Hi in auxilium intuocati, velut conditiones conuenerant, exercitu, qui bipartito distributus fuit, in hostem ire decreuerant, et, quod ex copia otioque lasciuere rursus animi, pristina mala, postquam obliuione exoleuerant, denuo quaerere. Carolus, cui nomen a rerum magnitudine inditum, Tassilonis consilia, sibi iam prodita, animo circumspiciens (nam non nesciebat ad suam perniciem dolos omnes quaeri) hunc ad cauissam dicendam Ratisbonam euocat: qui quia, de perduellione postulatus, non habebat, quod responderet, capitis damnatur. Mitior senatus consulto animo sedit Caesari sententia volentis, vt parceretur a sanguine, tam propingua cognatione sibi coniuncto. Itaque factum. Quia tamen nihil se absente, pro fano facturum praeuidebat, magni interesse ad tranquillitatem reipublicae opinabatur, specie religionis sacra eum includere custodia. Auares etsi intelligebant sibi auxilia detracta: nihilo feciis ex iocedere pars in Marchiam

Foroiuliensem, pars in Boioariam impetus  
dabant; neutrubi prospero euentu. Quem  
788 ad modum enim in Italia ductu Winihilii,  
aeque in Bauaria Grahamo et Odoacro du-  
cibus fusi fugatique sunt.

Ex hac calamitate, atrox ira, maioris cla-  
dis caufsa atque initium fuit. Auares nam-  
que omnium, praeter vltionem, imme-  
mores, in agrum Boioariae depopulan-  
dum transeunt. Verum sperata ex hosti-  
co praeda, iactura millibus armatorum  
decem mutata est. Carolus vbi non  
libere quidem et inulte, suas ditiones  
deuaftari, passim tamen immerentes ad in-  
teritum trahi, sacraque nefario ausu pro-  
fanari audit, occupandum bellum ratus,  
exercitum, quem multis finitimorum bellis  
indurauerat, aduersum Auares, australi  
791 Danubii parte dicit, Theodorico et Me-  
ginfredo per aquilonale cum copiis ire  
iussis, Boioarii cum commeatu secundo  
Danubio deuebant. Prima castra propter  
Anasum, loco opportuno, constituta sunt.  
Auares, audito Caesarem, cuius neque  
consilium, neque incoepsum ullum frustra  
esse nouerant, cum probe exercitata mul-  
tudine contra se arma ferre, primo grauis  
cura, mox paucor atque trepidatio incessit,  
cernentes, quanta Francici belli moles,  
vix tolerantibus finitima, instaret. Iam  
in fuga, iam in armis spem ponere; dubi-  
ta-

tare: acie congrederentur, an moenibus  
se se defenderent. Placuit ad Comage-  
num ex vna, ad Cambum ex altera Da-  
nu. ii parte, vbi vtrinque munimenta  
(Hringos vocabat) posita habuere, ho-  
stem operiri: sed eo propius accedente,  
cum ante cunctis formidabiles essent, ipsi  
nunc pannico quodam terrore perculsi,  
vix audiebant Francos in acie adspicere;  
parumque tentata fortunae alea se trans  
Arrhabona recipiunt, fluum pro muro  
obiecturi. Carolus vtraque potitus mu-  
nitione, et, ne cui in posterum usui effet,  
euersa, Pannoniam superiorem subita cursio-  
ne depopulatus, ad amnis ostia, cum e-  
xercitus robore confedit, abhinc circum-  
spectans, nec vnde in imperium Romanum  
impetus fieret; lue cum primis equorum  
permotus; retrocessit ad Ratisbonam. \*

De caetero malis Auarum, etiam deletus 796  
in Pannonia ad Sauum exercitus, velut  
quidam aerumnae cumulus accessit. Pipi-  
nus enim, Italia a parte egredi iussus,  
acie illic prospere depugnauit, et Hringum  
cepit. Nec quis barbarum, quod dixi,  
vocabulum ignoret, sic habeto.

Erat scilicet hoc genus munitionis circi-  
ter millia passuum XL. in ambitu, com-  
plexum vndique septo decussatim inciso,

G 4

lato

---

\* BONFINIUS Dec. I. Lib. 9. Cl. PEZIVS Tom.  
I. Scr. Aust. Diff. 3. PAGIVS. ad. h. an.

lato XX. pedum, alto totidem, quod len-  
to vimine textum erat. Sed ad proposi-  
tum reuertor. Quia vastata et direpta fuit  
omnis fere Pannonia, fraeti videbantur A-  
uares. Nihilominus. Ad octennium vix  
debellatum est. Tandem succubuerunt,  
ciuili inprimis diffensione. Tudunus, ma-  
gnae inter suos auctoritatis et potentiae,  
primus se in fidem Caroli permisit, sacra  
christiana amplexus: quo facto gentis uni-  
uersae haud exigua pars, sicuti in Fran-  
corum ditionem venit, ita diuiniore di-  
sciplina imbunta est. Etsi vero diu! hic in  
pacato non manserat, sed vel sponte sua,  
vel coactu suorum, in paecepta auitae  
superstitutionis relabebatur: Carolus tamen,  
vt poenas ab regulo parum fideli exegit;  
sic fracta plurimorum contumacia, primus  
religionibus Auaros impleuit.

Eisdem temporibus Chrobati ex Dal-  
matia egressi, Pannoniam Sauiam, quam  
Pipinus maiorem in modum corruperat,  
vel electis, vel subiugatis Auarum reli-  
quiis, armis occupauere, et regni Sla-  
uoniae originem fecerunt; vt proin tunc  
iam Auares hinc Drauo flumine, ad occa-  
sum Arrhabone continerentur, effentque  
iuris Francici.

799 Nihil his, vtpote libertatis et domi-  
nandi adsuetis grauius latu erat, quam a-  
lienae iugum feruitutis. Quo circa ma-  
ximis

ximis laboribus periculisque ad pristinam libertatem contendere, terram versus Annasum caedibus et incendiis perpopulari; si forte, quae amissa erant, sub imperium redigere possent. Inique tulit tam diris incursionibus vexari, quae sibi a Carolo tradita erat administranda prouinciam Geroldus: accedit armatus obuiam: conserit pugnam, qua telo i<sup>c</sup>tus occidit. Resarcitur damnum, breui interiecto tempore, ab exercitu Caesaris; quo denique ad postremum Zodan, Praetor Auarum, Ratisbonam contenderet, ac leniter et ex voluntate Caroli omnia se facturum promitteret. Dehinc Caesar, cum omnium circa finitimarum societate ac foederibus iunxit animos, positis armorum curis, sacerdotibus constitutis animum adiecit. 805

Iuuaniensi Pontifici attributa Pannonia, cuius opera *Theodorus Chaganus*, cum magna populi parte, coetui Christiano sese adoptauit. Behemanni, boream versus, Danubium adiacebant, Auarisque finitimi erant, qui seu, quod omnia, p<sup>r</sup>ae noua religione, potiora ducebant; seu, quod libido incellerat fines imperii propagandi, Theodorum tanta vi inuaserunt, cum ferro: vt cogeretur Carnuntum inter et Sabriam a Carolo quietiores flagitare sedes. Hanc Caesar iniuriam ad se pertinere existimans, hostem bello petit: incredibili

818

usus felicitate, qui laceſſuerant, multa facit, detrimenta, et Lechum, ducem armatae multitudinis perimit. Carolo Aquisgrani mortuo, cum regna Ludouicus singulis filiis dispertiretur, conflata sunt illa bella, quae ad internacionem gesta sunt, et queis occasio data aduersariis detrectandi Francorum imperii. Lindewito in primis, Pannoniae propter Sauum regulo, optatissimum id acciderat. Is enim immodica accensus cupiditate Panniarum, quae cum Dacia, Istria, Liburnia, atque Dalmatia, Ludouico Germanico obuenerant, multis pollicitationibus Auaris persuadere studuit, ut Francos defererent, ac secum facerent societatem. Et hi quidem, quod vnicam spem libertatis suae in dissidentia stirpis Carolingiae deponebant, facile affenserunt, nemini, ac sibi noxiora suadenti. Ludouicus in tempore nunciis de defectione Pannoniae certior factus, ne belli flamma vltra serperet, derepente tres exercitus, diuersa per loca, in rebelles proficiisci iubebat. Auares secus, ac cogitatione praeceperant, res procedere conspicati; nam et multitudine armatorum, circa opinionem, maiori se peti cernebant, et principem coniurationis Lindewitum, Sciscia, vrbe munitissima relicta, ad Sorabos profugisse audiebant, vbi postea interfectus est: damnata spe salutis, quam in armis posuerant,

re-

reconciliandam gratiam cum Ludouico re- 822  
ge censebant, quam oppido impetrarant.

Post haec tempora Prinnina Morauus, 853  
a Moymaro duce patria exactus, Ludoui-  
ci voluntate, in Pannonia late dominaba-  
tur. Seu itaque hac ex re, seu cupidine  
longius proferendi imperii, seu aliquacun-  
que de cauffa, diffidio fratum in rem suam  
vsuri Morauiae duces Pannonias adfligere  
cooperunt; in primis erat Raftices, Moy-  
mari nepos: et postea, regnante Carolo- 855  
manno, Zventibaldus, seu, yt vulgo  
scribere mos est, Svatoplucus. Et ab-  
hinc omnino repetenda iam est origo re-  
gni Magnae Morauiae. Hic, postquam  
omnia regna Caroli M. quae post obitum  
eius posteri, quisque semel atque iterum  
omnium partes corripere atque complecti  
cogitabant, ad vnum Carolum, cognomi-  
ne Craffum reciderunt, tam diu Pannonias,  
sibi, quam Franco viciniores, sollicitare  
non destitit, armisque ignauum ad sua de-  
fendenda principem exagitare: vsque dum  
omnem eam regionem pactione sibi con-  
cederet. Ratum id: eo quidem tempore, 884  
Arnolphus quoque habuit, Carolomanni  
ex pellice filius, qui tum non Carentanis  
solum, patris extrema voluntate, sed Pan-  
noniae etiam praefuit, at postquam Caro- 887  
lo, ob desidiam, Imperii dignitate suffe-  
ctus est, perinquo ferebat animo, tam la-  
te

te patentem prouinciam, nulla sua culpa, sibi erectam; neque Svatoplucum, praeferunt, quod et insolentem, et infidum reputabat, nisi limis oculis intueri potuit: nec vtique ante conquieuit, quam Hungaris, qui tum ex Asia erumpebant, in societatem belli adscitis, Morauum adgredetur; qua tamen re non tam sibi posterisque, quam sociis, Pannonias Morauiamque adseruerat. \* Sed hoc quidem in tertio iam exponemus libro.

---

## LIBER III.

## DE HUNGARIIS.

**M**ulto antiquius est nomen Hungarorum, quam plerique scriptum reliquerunt. Iam saeculo V. Iornandes in historia Hungarorum, dum de Hunnis commentaretur, meminerat; quos caeteri demum scriptores, Onogaros, Vngros, Turcos et Agarenos dixerunt, lingua patria Magyarok adpellati. Vnde potissimum haec appellations veniant, et, num iure omnes Hun-

---

\* v. THEGANVS de gestis Ludouici, apud PITHOEVM; Annales Franc. ad an. 817 seqq. apud Duchnejè, et Canésum; ac præcipue Chronica S. BENIGNI Diuinione et Anonym. de Conuers. Boioar. et Carentan,

Hungaris tribuantur, nostra non refert multis disputare. Forsitan a montibus, quos Sarmatae Gori, vel Hori vocabant, primum Vgori, seu Vhori coepti sunt compellari, quod Iornandes videtur innuere, quasi montium accolas diceret: sicuti Pomerani, Pomorane et Poloni, Polaci Powlaci (Wlak) illi ad mare, hi propter Valachos habitantes. Id certum est, hodieque a Bohemis, Slavisque Hungariae Vhros vocari. Interim, si scriptores veterrimos sequamur, comperimus circa annum Iesu Christi DLI. *Toumuenum*, excusso iugo Auarum, Hungarici in Asia imperii, quod Turcicum multi scripsere, fundamentum egisse. Post huius è vita excessum, simul *Mocanchanus* ad regni administracionem acceperat, non magis de regendo, quam augendo cogitauit. Quam magis vires Auarum fractas reputabat, tam magis vrebatur desiderio sub sua eos potestate habendi; vti nec de diutina contentione vsque eo destitit, et bello aduersantes persequi, donec principatum imperii sibi concederent. Vbi primum sua tuta omnia vidit: tum adplicare se se studebat ab Iustini II. societatem aduersus Chosroem, regem Persarum, sibi infestum. Mittitur a Byzantio, rem ut conficeret, Zemarchus vsu et sapientia praestans. Mocanchanus quantum Graiorum opibus inferior videbatur: ita magnifi-

551

569

gnificantius, ne sibi vel ingenium, vel opulentiam deesse ostenderet, legatum accepit. Ignes mira confecti arte, vas aurea, sericei tapetes, lecticae rarae, tentoria carbaseis intenta velis, diuersitate figurarum, ad superbiam interstincta, et supellecili pretiolissima decorata, Romanam maiestatem, inter Hungaros ostentabant. Quid ex foedere actum sit, et quibus conditionibus amicitia cum Persis coaluerit, parum comperimus; id apparet Mocanchanum filiam suam Chosroi vxorem dedisse.

572 Imperante Topochano prioris sucesore, Imperium orientale, ab occidentali, quod vtrumque amplum atque vastum esset, dispescitum fuit: illius reges *Vhlifoucani*, huius *Poulichani* nominabantur:

585 *Apochanus* deinceps, a quo populi, ab Irtytchi fontibus, ad paludem Maeotida regnabantur, Magnum Chanum se adpellari volebat. Qui post hunc in regio sedebant solio, diris aduersitatibus conflicabantur. Seditione domestica bellum externum plebes identidem exciuit: bello rursum ciuiles discordiae intermistae. Iam Sinae, iam Arabes, duce Catiba, in

704 tantas eos compulere angustias, quo, vt aiunt, inter sacrum et saxum starent. Proclive itaque erat *Hoeikeis*, veteri Hunnorum soboli, nostros de maiorum domi-

dominatione deiicere, et ad Tanaim 742  
Volgamue retrudere.\*

Quum his accolabant fluminibus, vaga indepti sunt nomina, fors a familiarum ducibus: sic audias vocari alios Chazaros, Vzos item, nec non Paczinacitas, seu Pacinacas. Quae gentis calamitate, tantisper desaeuiisse videbatur, cibulum procellarum tempestas, nunc denuo, vbi aliquamdiu ab externo hoste quies erat, cooriri. Ac conflatum omnino est cruentum bellum Hungaros inter, quos plerisque Turcas vocari praediximus, et Paczinacitas: in quo tanta feritas animorum fuit, ut neutri origini suae parcerent. Postremo, quum nostri vim hostium sustinere non possent, victoriā concesserunt: et Duce Lebedia (quem *Boebodum* vocauere Graeci; idem erit, quod Slauonicum Boivoda, seu Weivoda latine ducem belli interpretaberis) in regiones meridiem spectantes animum intendere; si forte, cum ex aquilonibus pellerentur, harum nonnullas occupare possent. Commodo se eis iunxerant Auarum reliquae, quibus valentiores redditi, facultatem habuere Daciae potiundae. | Postquam huc locorum deuenē- 862  
runt,

---

\* Consulatus DEGVINESIVS, cuius iam saepe cum laude memineram, DESERICIVS  
Tom. IV. Lib. V. part. 3. c. 1. 3.

runt, summae rei inter eos praefuit, si patrios quidem Annales sequaris, Almus, fin Porphyrogenitam, Arpadus. Qui proxima potestate erant, memorantur a Thurocchio, Zabolchus, Gyula, Cundus, Leel, Verbulchus, et Eurus; ab Anonymo Belae Regis Notario: Eleud, Cundu, Ound, Tohu, Huba et Tuhutum; quae etsi latinis barbara videbuntur, omittenda non erant. Nec tamen Hungari ita Asiam deseruerant, quin sui generis plures ibidem relinquerent, quorum posteritas sine dubio, hucdum superat. Imperante Bela IV. reperti sunt trans Volgam Hungarica lingua loquentes, ut tradit *Desericius*, vir ob Commentarios suos laude memorabilis. \*

889 Interim dum nostri pro virili rerum suarum in Dacia satagunt, ex integro Paczinacitae, vetere similitate concitati, bellum in eos suscipiunt, ac primum Moldauia, Valachiaque hodierna, tum intericto breui tempore, Transyluania quoque eiecerunt; et hanc quidem ita fibi vendicarunt, ut pauci sint, quin credant Transyluanos veteres esse Paczinacitas. Accidit tamen, antequam omni prorsus excederent Dacia: ut ab Leone, Orientis

---

\* Comment. de initiis et maioribus Hunn. Tom. I. c. vlt. conf. PORPHYROGENITA de Adm. Imp. c. 37.

ties Imperatore, oblatis muneribus, aduersus Bulgaros deuocarentur. Illi et pecuniae, et regionis proferendae cupidi, prout conuenerat, improuiso hosti superueniunt: quem cum ubiuis cedentem vident, praedas magnas faciunt; et licet dolos timerent, quod Romani contra ac promiserant, segnius rem agerent: nihilominus obuium sibi cum exercitu Simeonem, ducem Bolgarorum, extemplo adgreduntur, vincunt prospera pugna, milite partim imperfecto, aliis in potestatem redactis, quos deinceps Caesari venundederunt.

Hac pugna pugnata, magni in Europa haberi cooperant Hungari, et sibi insignem bello gloriam parare. Cuius fama cum ad Arnulphi regis, qui Carolo Craffo, succefferat, peruenit aures, nihil dubitauit, Zventibaldum, cum quo ei parum 892 conueniebat, debellaturus, ut praedixi, insignem eorum molem, sedibus suis excire. Hi in auxilium implorati, parte ad terminos gentis tuendos domi relicta, sine cunctatione in regnum Sphendoploci, quod animo complexi erant, impetum faciunt: et postquam sua, cum Arnulphi armis consociarunt, Morauiam igni ferroque vastabant. Bulgari, cognito, robur exercitus Hungarici procul finibus abesse, occasionem vindictae sumenda datam sibi existimantes, magnis viribus Istrum tra-

iiciunt. Iungunt se his Paczinacitae iniudi potentiae Hungarorum, et vnitis viribus, bellum, cum quibus pacem, ex foedere, colere debebant, inferunt. Custodes limitum, cum vident maioribus, quam ut resisti posset, contra se copiis tendi, si nequirent pro salute, pro vltione tamen sua, impigre ferrum stringere, hostis impetum anteuenire, nihil apud se remissum, nihil, quod res desperatas proderet, pati. Proinde tametsi victi sunt, et pars occidione occisi, pars in seruitutem abrepti, quod numero superabantur: sed cruentam etiam hostibus fecerunt victoriam, ex quibus ad vicena millia occubuerant. Haec gesta sunt, seu in Transyluania, seu in ea parte Hungariae quae trans Tibiscum orientem prospectat. \*

Hungari audita suorum clade, et sedium inopina vastatione, fremebant se foris pro gloria et spe imperii dimicantes, domi ab eis, quos numero amicorum habebant, captos et opreffos. Atque videntur etiam conatus hostium repressi, ubi hi redierant: sed vel obstare non poterant, quin Paczinacitae sedem in Transyluania caperent, vel, quia amore illius, quae postero tempore ab eis nomen accepit,

---

\* Describunt haec CONSTANTINVS, ZONARAS LEO GRAMMATICVS CEDRENVIS, GEORGIVS, *Monachus*, caeteri..

pit, regionis ducti, sponte sua, antiqua dominatione cessere, quo laetiorem consequerentur : quae enim de legatione ad Svatoplucum, albo item equo, et praelio narrantur, paruam videntur meruisse fidem. Saltem fractis partis alterius viribus, alterius mollito pectore, segnius bellum erat. Hungari cum ad occupandum omnem Svatopluci regionem curas intenderant, accidit, ut Cabari, veteres nostrorum populares, ob factionum studia, Chazaros ad Tanaim defererent, ac per Lodomericam ac Haliciam, apud Vnguarium nostram ingressi prouinciam (quod perperam Notarius Belae regis de Almo et Arpado interpretatus est) arma, et necessitudinem cum Hungaris coniungerent. Ut nostri copiis aucti sunt, quae ante annum induxerant, exequi pergebant. Nihil his accidere potuit opportunius, quam intestina Moymiri, et Zventibaldi, Svatopluci filiorum, de regno diffensio. Paullatim enim Magna Moravia fratrum diffensione Hungarorum facta est, et post obitum Arnulphi, quem adiutum exierant, 896 potior quoque Carinthiae pars.

Coeptis tali modo cum fortuna blanditur : abundantes iam audacia, tum in Superiorem Pannionam, tum in Marchiam Lombardiae equites excurrunt, et qua pergebant cunque, vrbes, castella, vicos, 899

templa, agros vastare, pecuniam cum  
commeatu imperare, a repugnantibus  
praedas agere, sic suis animum, hostibus  
terrorem augere ac in Italia in primis sae-  
uissime graffari. Nam heic quidem eo  
tumultu plus XX. millia internecioni de-  
derant, in his *Luitvardum*, Vercellensem  
Pontificem, qui, dum securos cum the-  
sauris peteret locos, armatae manui ob-  
uiam se dedit; ita imprudens vitando pe-  
ricula in perniciem incidit. In his rur-  
sum, vbi cernunt magnam se prosperita-  
tem consecutos, in spem ingrediuntur,  
cupidis ampliora potiundi. Sollicitant  
ad defectionem Auarum reliquias apud  
Carnutum degentes. Hi aut amore gen-  
tilium, aut metu potentiae, societatem  
cum eis iungunt: tantum se a culpa ab-  
futuros rati, quantum calamitatis, ad ea  
tempora, qua ab amicis, qua ab hosti-  
bus perpetrati sunt. Ea re cum paullo  
plus roboris accessisset, Hungari cum e-  
quitatu, depopulato agro Pannoniae, A-  
900 nasum transgressi, ex Boioaria vastitatem  
facere instituerunt. Quaqua pertigerant,  
fugam incolarum faciebant, et rerum,  
timore, sine custode reliquarum, imma-  
nem praedam. *Luitpoldus*, Marchio O-  
rientalis, cognita hostis nimia securi-  
tate, quippe qui magis ad rapiendum,  
quam armis configendum intenti erant,  
effusos passim, nihilque hostile opinan-  
tes

tes adoritur. Pars populationibus fessi, pars cibo vinoque in villis repleti, vix fugae, quod satis effet, virium habuere, nedum hosti impigre proelium cientes resistere. Multi hic ferro perierunt, plures gurgitibus Danubii, dum fuga salutem peterent, absunti sunt. \* Qua victoria et Boioarium animi erecti, postquam viderunt, praecipiti audacia fercem hostem vinci posse, et Hungarorum non nihil percussi sunt. Qua tamen erant in rebus gerendis pertinacia infra Anasum, ne latum pedem victori cesserunt exercitui, *casu*, *non virtute se superatos* dictantes. Nec ipsi Boioarii ultra progredi ausi sunt: sed satis habuere, amnis, quas tenerent ripas, operibus munire, ad propellendum, quam ad inferendum periculum promptiores. Quamquam vero, re male gesta, ut dictum, et amissis pluribus suorum ex Bauaria, tum quidem, redierant Hungari: tamen antequam annus abierat, in fines Carenthanorum, et Marahenses excucurrerunt 901 ea mente; ut, si hos subigerent, et spoliis ditarentur, et gloriam, quam Boioarica calamitate imminutam senserant, rebus suis adiungerent. At spem fortuna fefellit. Nec enim sua aliqua laude rem gesserunt, contraque magna

---

\* LVITPRANDVS Lib. 2. c. 1. *Annal. Fid.*  
Continuat. *Annal. Bibl. Vind.* Tom. I.

cum ignominia : nam vtrobique vici terga vertere cogebantur.

Crēdidiffes tam grauia paffos nusquam se moturos. Verum hi ( tanta erat animorum contra aduersas res obſtinatio) nihil segnius noua moliri, vicinos turbare, iniuriam ulcisci pergebant. Iam Ma-  
902 rahanos, iam Suevos, et Francos Saxonesque vexare tentabant: strenue vbiique restitum eſt; in Boioaria multi armatorum, cum Duce ſuo ( regem alii nominant ) *Cufale*, ad conuiuandum inuitati magna hostium perfidia, conciduntur. Interemto exercitus Praetori fuisse &ti ſunt *Dursacus* et *Bugatus* \* pari imperio, nec, vt plerique voluerunt, *Zoltanus*. Arpado enim, primo Hungarorum in Europa duce, e vivis erepto, ad plures reſpublica peruenit, donec in Toxo, Arpadi nepote, ad vnum rurſus rediret. Hi iam, quos dixi, duuumiri reſpublicae conſtituendae, incertum quam ob rem, cum expeditis cohortibus, item peditum delecta manu, finitimam Italiae partem incurſionibus vaſtant, mox ad Padum vsque procurrunt, fugant militem Berengarii, XV. fere millibus, et poſtquam pleraque oppida exciderant, onuſti praeda annotina reuertuntur; quippe qui cum profana omnia diripiuiſſent,

---

\* Haec P. GELASIVS DOBNER in Ann. Hay Part. III. ad ann. 922. retulit.

sent, ne sacris quidem abstinuisse perhibentur.\*

Anno in Italia per populationem 904 transacto exiguum inter suos deuersati, auctis copiis, Alemanniam ingrediuntur, et ex accolis Lyci ingentes faciunt praedas. Crebris nuntiis cum haec ad *Ludovicum* Imperatorem perferuntur, aestuare coepit desiderio configendi, cum tam infesto nomini Germanico hoste. Intendebat in omnem occasionem, quam facile reperit, inimico pugnae copiam haud ingratis faciente. Oritur hinc grauis dimicatio; cum nostri maiore vi se vrgeri vident, paucis amissis, vt in locum insidiarum deducerent Caesarianos, suapte loco cedunt, quin simulant sese profugos discessuros. Caesar suos ad persequendam victoriam adhortatus, dum cupidius retrocedentes insequitur, in locum sibi iniurissimum, hosti contra opportunissimum deuenit. Hungari vbi silvas intratas vident, in queis bipartito insidias collocabant: alii auerterant, strenuo animo inferunt. Acris ex eo fit concursus: it clamor coelo, his spe, illis timore stimulus addente utrique sui immemores ruunt in arma. Ut loci opportunitate, et frau-

---

\* Chron. S. Gali, HEPIDANVS Monachus ad an. 902. LVITPRANDVS l. i. c. II. DANDVLVS ad an. 906.

de insidiarum superabant Hungari : sic ad  
vltimum inclinatam Germanorum aciem  
perfringunt; fit cum trepidatione fuga, nec  
illa, adeo confusis rebus, incruenta. Pre-  
muntur nouissimi : prius, obiectus acie  
905 miles, quo minus excedant, prohibet. Quo  
proelio factum est, vt Hungari regnum Lu-  
douici Infantis sibi tributarium redderent,\*  
906 et postea Saxoniam, vel a Sorabis, vel a  
Daleminciis, in hodierna Misnia olim ha-  
bitantibus, ad tantam perniciem condu-  
cti, \*\* tanto liberius vastarent. Interibi,  
dum haec in occasu secunda procedunt  
fortuna in Oriente pariter Hungari primo  
Graecis, tum Bulgaris tributum imperant;  
et hinc retrogressi Morauiam omnem, ab  
occasu Moymiri sub iugum mittunt. \*\*\*

His rebus supra modum crescente po-  
908 tentia, iterum Boioariam mouent : et, tam-  
etsi, quod de Ludouico Caesare, propter  
Anasum victo, narratur, abhorret ab hi-  
sto-

---

\* LVITPRANDVS l. 2. c. 1. sq. ALBERI-  
CVS Monachus Trium Fontium, CONR.  
VRSPERGENSIS et SIGEBERTVS ad  
an. 904. vid Cl. DOBNER Ann. Boh.  
Part. III. p. 392.

\*\* Confer hic P. PRAY Ann. Hung. ad  
an. 922. et P. DOBNER Ann. ad a. 906-908.

\*\*\* Monachus Trium Fontium, SIGEBER-  
TVS item ad an. 906. sq. Notarius Belae  
regis c. sq. apud Cl. Schwandtnerum Tom.  
I. Script. 1. p. 635.

ftoria; in dubium attamen adduci nequit, Hungaros multis damnis adfixisse regionem; ex qua demum in Thuringiam, atque Saxoniam maturaverunt iter pergere. Heic *Luitpoldum* et *Burchardum* duces obuiam effusos vita priuant, fugato exercitu.\*

Parum his locis morati, dum se per Boioariam referunt, Ludouico rursus apud Augustam Vindelicorum in fugam conie-  
cto, Alemanniam perpopulantur: vicos expugnant: inflammant tecta: hominum pecudumque praedas agunt. Sed apud flum Oenum inconsultius proelium cum Arnolpho, Boioariae praefecto commit-  
tendo ita exercitum perdunt; ut vix nun-  
cii tantae cladis superfuerint. Reiecti hoc  
modo, nostri quidem, ultra Litaham a- 913  
mnem, sed ita superati sunt, ut ma-  
iores clarioresque resurgerent instau-  
rando proelio, damnisque suis terribilio-  
res redderentur. Certe refecti breui tem-  
pore sunt animi, quamquam accisas res fa-  
tis constabat: sed defectus quoque clade  
acceptus, cito sarcitur. Tanta erat, rebus  
quoque affectis ad comparandum acerri-  
me bellum voluntatis promptitudo. Arma- 915  
tis itaque, quam maxime poterant, copiis,  
anno altero rursum, et insequentibus, in  
loca non solum Sueviae, sed omnis Ger-

H 5

ma-

---

\* MARIANVS *Scotus* ad an. 909. et LAM-  
BERTVS *Schaffnaburgensis* ad an. 910.

maniae, quin Burgundiae etiam, opulentissima pergunt: multa castella et oppida temere munita, aut sine praesidio, diripiunt; vrbes ampliores partim vi (in his Bremam et Basileam) partim voluntate ad ditionem perducunt eo facilius, quod plurimi Germaniae principum, a Cunrado Caesare descierant, in his Arnolphus, nuper victor Hungarorum, ad quos iam salutis causa confugerat; qui tamen paullo post, Henrico Aucupe ad clauum imperii Germanici promoto, redit cum vxore liberisque, fitque, quod optabat, Rex Boioariae.\*

Narrat hoc loco pluribus *Io. Thuroczius*, scriptor patrius, pugnam, in qua Lehel cum suis inferior quidem euasit, tuba nihilo secius militari, quam sibi ultimo inflandam petebat, Conradum interemisse dicitur. Verum istud quidem ad fabulam, quam ad ad historiam proprius accedit: illud ad fidem etsi ab Annalibus intermissum Italiam rursus, partemque Franciae, regnum vtpote Lotharii, solita audacia Hungaros infestasse, qui haud diu post, non quidem in Thuringiam, vt plerique tradidere, sed iterata vice, ducibus Dursa-

co

---

\* SIGEBERTVS ad an. 914. HERMANNVS apud Canisium, *Chron. Augiensè et S. Medardi Suection.* ADAMVS item *Bremen. Hist. Ecc. I. 44. seqq.*

co et Bugato, vt opem ferrent Berengario de regno periclitanti, in Italiam transiunt, ac ubi ad Veronam peruenere, Adelbertum Marchionem, et Odelricum, Comitem Palatii, cum multis aliis perduellionis suspectos tollere malunt, quam amicum diutius esse in timore periculoque. Pulsus tamen est non ita multo post, et 924 loco eius regnauit Rudolphus Burgundus: focii casu iniquo perculsi Hungari, vnde excesserant, redeunt, et in hostico inimica mente graffantur, Ticinum, urbem splendidissimam igni delent, in qua ad XLIV templo conflagrauerant, praeter alias priuatas publicasque aedes: Pontifex vrbis cum Vercellensi, maximaque parte oppidanorum vel fumo, vel flammis enecti sunt; vt vix ducenti ex tanta multitudine superarent, qui argenti modiis octo, e cineribus eruti, vitam inopem murosque iam vacuos redimerent. Pecunia deliniti Hungari per Alpes in Gallias traiicere conantur, quos Rudolphus, cum Hungone Vieneensi, angustiis locorum clausebat; hi tamen per auia in Gothiam, hodiernam Prouinciam eluctantur, multa interim iam ab armis hostium, qui se infquebantur, iam a morbis perpepsi, \*

Anno

\* FRODOARDVS in Chron. ad an. 919. 924.  
LVITPRANDVS apud Pithoeum l. 2. c. 16.  
l. 3. c. 1. et ADSO, Abbas Deruensis.

925 Anno nihil secius insequenti, quod  
Henricus Caesar, tributum a Ludouico  
Infante promissum, et a Conrado quo-  
que pendi solitum, negarat, Hungari,  
qui alia parte iam Boioarium, Alemanniam-  
que inuaferant, terras Marahensium trans-  
gressi, multas Caesaris prouincias, ac in-  
primis Saxoniam ferro et igne peruestab-  
ant. Tam diris grassationibus occurfurus  
Imperator militem in aciem producit:  
conseritur pugna, acris magis, quam per-  
tinax; qua Caesar victus, non sustinuit ad-  
versus hostes in campo castra ponere. Ita  
dum locis munitis Henricus se tenet, fa-  
cile erat Hungaris, Alemanniam, Alsatiam,  
atque ipsam denique Galliam peruagari.\*

926 Sed in hac quidem vaftatione intercep-  
tus est princeps quidam Hungarorum, pro-  
cul dubio *Zoltan*; quem et si nostri ingen-  
tem auri vim, pro eius redemptione se  
numeraturos pollicebantur, ante non red-  
didit, Caesar, quam pacem annorum no-  
uem, conceptis verbis, iurarent. Conser-  
uarunt quidem, vt decuerat, fidem, Mora-  
vis interea et Bohemis ob amicitiam Hen-  
rici adflictis, sed ne cum tempus pa-  
ctionis exierat, quum, ne sibi quodam modo deesse viderentur, legati in  
Ger-

---

\* PONTGERVS in vita Brunonis P. 274.  
WITICHINDVS l. i. p. 638. HERMAN-  
NVS Canisianus, et HEPIDANES ad. an.  
925. DITMARVS item l. i. p. 327.

Germaniam missi, ad stipendium, quod ex veteri pacto debebatur, poscendum, aut, si die proferre vellent, obsides accipiendos. Caesar, qui tempore pacis de bello cogitarat, et post profecionem a Saxoniam Hungarorum, suos omni disciplina militari erudiuerat, locis, quae castellis idonea erant, communitis, adhaec commeatum affatim, et denique omnia, quae in bello vario, quod praeuidebat, et rerum multarum egenti, usui esse solent, comparauerat, consulto tributum negabat, callido consilio id modo festinans, quominus aliud hostis, quam bellum mallet. Excanduerant his cognititis Hungari, et contracto immanni exercitu, per Bohemiamque in Saxoniam maturare, sine modo inuadere, polluere, et vaftare omnia, nihil pensi nec sancti habere, ac quo magis timerentur, a sociis Dalemiciis auxilia arcessere, vetera enumerantes beneficia. At hi quidem pessimam gratiam, pro maximis reddituri, canem scabiosam impudenter obiecere, coniectantes, quod acciderat, bello infelices fore, sibique hanc rem impune abituram. Atque istud est, quod dein locum Annalium mendacio fecit; quippe traditum: *Tantam labem Hungarorum legatis Caesarem adspersisse.* Nostri interim dissimulato iniuriae, quam a Dalemiciis, circa opinionem, acceperant, dolore, et vltione tantae contumeliae in  
aliud

aliud tempus reseruata , partito exercitu, Thuringiae sese infundunt, victorum potius more , quam bella gerentium. Ne quicquam Henrico ea secessione gratius accidere potuit, quippe qui malebat aduersus singulos duces separati, quam vniuersas copias simul rem gerere. Itaque ad occidentem versus, vnde effusa populatio nunciabatur, castra mouet, de improviso : propter Merseburgum, (nam et sic iam scribere mos est) cum delecta suorum multitudine palantes circumuenit: et, antequam se quoquam mouere, vel socios, ad opem ferendam, vocare poterant, acie instruta, vi summa adgreditur. Opinione maior fit, derepente sanguinis effusio: saeuit effrenis ira; nec victis parcitur. Perhibent eo proelio Hungarorum ad XXXVI. millia interfecta, plerosque captos, vel amnem, ad quem pugnatum erat, vel famem, vel intolerabile frigus absumfisse; paucissimos periculum effugisse. Caesar, hoc loco, re feliciter gesta, priusquam fama ad eos, qui ad Orientem diuerterant, cladis acceptae perueniret, hos quoque eodem, quo priores, modo occupare satagit. At his quidem saluti fuit, quod in tempore, et de calamitate sociorum, et de profectiōne Caesaris cognoverunt. Vatis itaque conclamatis, quod in incerto non erat, fugere, quam manere tutius esse, ad suos retroiuerunt.

At-

Atque haec est infelix illa nostrorum ad  
Merseburgum clades! \*

Maior illorum virtuti coniuncta fortuna erat, qui, eodem tractu temporis, Italiam introiuerant. Hi enim, armorum terrore quoquouersum dilato cum ex suis quosdam ad Regem, Hugoni nomen erat, misissent, qui pacem ei venalem offerreut, is haud dubitauit decem nummorum modiis, quietem redimere potius, quam bello vniuersa turbare. Nec dispari usus est 934 felicitate exercitus duce *Opura*, qui, quod agri et vicorum erat, inter Istrum, et Constantinopolim, omni clade belli peruestabat. \*\* Scite hoc loco narratur Annalibus patriae singulare *Bothondi* certamen, cum Gigante Graio. *Bonfinius* \*\*\* superbius prouocanti Graio Bothondum reposuisse, infit: *Ego quidem Scythicae gentis infimus tecum singulari pugna decertare deditigrarer, nisi duos tibi socios* (nam pro uno, si vellent; duos poscebat prouocator) *ad iunxeris, quorum exituram animam alter obseruet, alter cadauer tibi humandum curet;* quare Imperatorem vestrum omnino gentis novitrae

\* WITCHINDVS L. 1. p. 938. seqq. HO-DOARDVS in Chronol. ad an. 933. LVIT-

PRANDVS L. 2. c. 9.

\*\* LVITPRANDVS L. 4. c. 8.

\*\*\* BONFINIVS Dec. I. Lib. 10. THVRO-CZIVS Chron. Part. II. c. 26.

strae vectigalem, tributariumque reddam (hoc  
 namque dicitur futurum suisse victoris  
 proemium.) His dictis, Opuri ducis impe-  
 rio, in obiectam urbis portam, vires suas ex-  
 periri iussus, vibrata bipenni, portam illisit,  
 ut infantibus pateret ingressus. Statuta tempo-  
 ranea pro moenibus, monomachia interfecto tan-  
 dem Graeco, Vngarus viclor euasit. Haec  
 ille. Quicquid huius sit, tamen sicuti ex  
 his, ita ex eo quoque apparet, potentiam  
 Hungarorum non magnopere imminutam,  
 quod anno a pugna altero vicissim tam  
 935 Burgundiam, quam Italianam percursorant;  
 nec ita multo post Boioariam, Alemanni-  
 am, Alsatiam, omnesque fere Galliam,  
 usque ad Oceanum, ac Italianam iterum,  
 incendiis et rapinis graffando, optimis  
 quibusque rebus denudant. Rati-  
 se his factis, quae eis prospere cesserunt,  
 perpetuam felicitatem consecutos, virium-  
 que satis, ad vindicandam, bello Germa-  
 nico, acceptam iniuriam habere: Ottone,  
 938 loco patris, qui iam deceperat, impe-  
 rante cum magnis copiis Saxoniam intrant.  
 At hic iterato pertinax, quae eis olim  
 aduersa erat, fortuna vrgere non destitit:  
 939 fere namque ad interencionem deleti sunt,  
 simul cum illis, qui Boioariae incubue-  
 rant. \*

In

---

\* VITHICHINDVS L. 2. HEPIDANVS, alii.

In oriente aduersus Graios , paullo feliciter res gesta , qua opportunitate aiunt *Bolosudum* et *Gylam* , duces Hungarorum facra vnda ablutos . Vt haec praeteream , eo fortunae ludibrio accidisse videtur , vt , nostris iterum metu leuatis , quem Saxonica praelia incusserant , suum rediret ingenium ; et , ne imbelles agerent annos , primum in Carenthanos , tum in Boioriam , mortuo Bertholdo duce , quem vnum p[re]caeteris verebantur , expeditiōnem faciunt . Si quando tunc certe inauspicato ; siquidem parum absfuit : quin sedibus suis , in Pannonia , pellerentur . Ita quocunque intenderant , per ea tempora , res aduersae videbantur . Consultum adeoque erat , post tot tamque infelices casus vires refouere potius , quam spargere . Hungari attamen exercitu , ex calamitatibus , quomodo refecto , mira prorsus audacia cum vix sua tenere poterant , impugnare aliena occuparant : Dux enim eorum *Phalitzim* , tum nomen Hungaricum , existimationi vendicare , tum praeda alienigenarum , exhaustis rebus patriae , confirmare animos popularium studens , copias , sine dubio excitus , per Italiam diffudit , fretus non tam sua virtute , quam Italorum mutua diffensione , quae hosti ad res prospere gerendas , vt plurimum , maximo est adiumento . Per eadem enim tempora , quod in Italia regni mutatio

943

944

948

inter nouos reges alternabatur, mirum in modum factiones crescebant, et partium studio respublica lacerabatur. Princeps inter omnes habebatur Berengarius. Sed hic etiam cum se hostium impetum sustinere non posse cerneret, decem modiis nummum, partim ex censu populi, partim ex templis confiatorum, pacem mercatus est, patriae sanctiora iura, quam priuatae cuiusque aedis interpretatus. \*

953 Paullo post hoc tempus in Germania immanis conspiratio aduersus Ottонem facta est, cuius caput *Luitolfus* erat, Caesaris filius, qui non ingrato tantum, verum etiam crudeli animo patri insidiabatur; in praecipuis adiutorem factionis nactus *Conradum*, ducem Lothariensem, et *Harulfum*, opinione religionis inclutum. Autores hi fuere, cum viderent domesticis rebus minus esse robustos, implorandi ab Hungaris praefidii, quippe qui, post expeditionem Italicam, denuo altius emovere cooperant. Hi, quod summo studio omnem occasionem Germaniae nocendi captabant, simul de ope ferenda compellati sunt, de sua in eos propitia voluntate certiores faciunt; antequam tamen, ac se quoquam mouerent, per speciem le-

---

\* SCYLICES CVROPALATA; in Epit. Histor. SIGEBERTVS ad an. 949. LVIT. PRANDVS l. 5. c. 15.

legationis vires et adparatus Caesaris speculantur. Haec inter Luidolphus, cum magna cura parare omnia, festinare, cogere exercitum, nihil intactum, neque quietum pati. Aduolant destinato tempore Hungari *Toxo* imperatore, cum ingenti multitudine armatorum, et quo se cunque vertunt, cunctos pauore replent. Noricum in primis foede exitianiunt. Terror populationum, plerumque incolarum, ex agris castellisque leuiter munitis, Augustam Vindelicorum compulit, caput prouinciae. Eo omnes fortunas non vicinos tantum, sed remotiores quoque contulisse cum audiuerunt Hungari, copias vrbi admouerunt; vt obseffos, quos non nesciebant, spe auxiliorum Caesaris fretos, pro portis moenibusque, vim arcendam suscepuros, ante ad ditionem deducerent, quam suppetiae mitterentur. Otto, cui Magno cognomen facta indiderunt, de periculo vrbis nuntiis edoctus, vt obsidium exolueret, haud ita magno exercitu, sicut in tanta festinatione fieri debuit, contracto, maximis itineribus eo deproperabat. Hungari, aduentu eius cognito, tantisper de oppugnatione defitunt; vt se liberius ad pugnam expedirent. Haec dum fiunt, *Conradus* reminiscens, quantae calamitati sua Luidolfique consilia forent, se ipse reprehendit, et impetranda defectionis venia fre-

tus, ad Caesarem transfugit, a quo benigne et iuxta cultum, pristinae fortunae habetur; neu suspicaretur, de sua fide dubitari, extemplo parti exercitus praeficitur. Existimabat scilicet Imperator, vbi in globum coniurationis exierit, principem sui generis virum, tam ampla se benevolentia, complexum, futurum ut caeteri consilium sequerentur. Post haec rem primum factam, dein militarem curat, instruit aciem, ducibus munia imperat, Bauaros moris Hungarorum scientes in primis collocat; ordines interequitans paucis, pro tempore, milites adhortatur. Hungari quum viderent, aequo campo, summa arte aciem contra se instrui, subito Lycum amnem traiciunt: adeoque concitato impetu, se a tergo intulerant, vt funderent ipso fere incursum Caesarianos. Tum existimantes vbique iam ingenti caede prostratos hostes; quoniam non sensim cedere Germanos, sed effusa fuga ordines turbare videbant: laeti ad praedam discurrere, inuadere impedimenta, pretiosissima, primus quisque, pro se rapere, et pauci iam de pugna cogitare. Quod vbi Caesar intellexit, suos ut metum ponant, hortatur, sistant fugam, et spoliis suis implicitos adgrediantur. Confirmatis iam animis, praelium, quod iam elanguerat, accendit, Hungaros, sarcinis graues, non satis prouiso impetu, primo ter-

terrefacit, mox obterit. Magnam saepe iam Hungari, quam ante inferre solebant, Calamitatem a Germanis acceperant: sed nondum tam internecia et memorabili clade, profligati sunt. Pars enim, quod, dum se ad vim parabant, nec ordines recuperare, nec arma facile expedire, nec, quod imperabatur, exaudire poterant, multi fere in acie ceciderunt: pars, quibus pauor fugam ingefferat, cursu velociore spiritum intercludente, ut nec animam reciprocare fineret, qua ab milite persequente, qua ab ruricolis capti atque imperfecti sunt. Toxo cum exigua manu periculum euitante, in manus aduersariorum viui peruererunt, *Bolosudes*, *Leel*, et si coniectare licet, *Botandus*, principes, post Toxum, Hungarorum duces, quos Caesar, magna infamia gentis, pro portis urbium, infelici arbore suspendendos iufferat. Haec est iam illa, inter paucas memorata, et lachrymabilis populi Hungarici ad Augustam pugna! \*

Haud longis tamen temporibus inde 966 diminutas copias, Toxus usque adeo redintegravit, ut primum Austriorum fines tum Bulgarorum ac denique amplas

I 3 Graio-

---

\* WITICHINDVS Lib. 1. et 3. FRODO-  
ARDVS et HEPIDANVS ad an. 955.

Graiorum ditiones sustineret vexare; neque enim diutius, quam recens dolor proxime cladis transiret, et iuuentus bello apta ex crescere, mala sua pati no-  
970 stri putauere. Atque ad bellum quidem Graecum Paczinacitae et Russi arma coniunxerant. Numero sociali exercitui opposuit Caesar *Bardam* strenuum quidem bello ducem, at parum ab armatis munitum. Hic virium suarum reputans paucitatem, ut erat ingenio acer, et callidus, curam artibus bellicis, dolisque intendit. Tenet se tam diu munitionibus, intra quas confederat, simulatque extremum timorem: dum ad sui contemptum, et securitatem hostes perduceret. Consecutus, quae intendebat, locis opportunis collocat insidias, et ut incautos ac nimium fidentes victoria, eo traheret, praecedere iubet cum aliquot manipulis militum Ioannem patricium, lacerfisis aduersariis, pugnam transuersam ciere, seruatisque quoad eius fieri posset, ordinibus retrocedere, ac ubi tandem ad locum insidiarum ventum fuerit, effusis habenis fugere. Hic, quod imperatum erat, strenue exequitur. Paczinacitae, in quorum agmen inciderat, despecto numero lacessentium, impigre tela rapiunt, et velut ad praedam, non ad proelium proficerentur, cum impetu, cedentibus

instant, atque tandem fugientes, laxatis ordinibus consequuntur. Graius vbi tumultum sensit, concurrit ex insidiis, versisque in victorem, qualem se gerebat, militibus, hinc ora, illinc latera, quin circumuentis, et terga caedit. Tum demum Paczinatae, vti, qui nihil ante prouidissent, trepidare, et concursare, cohortesque disponere. Sed cum territis neque ad pugnam satis animi, neque palantibus ad fugam, septis omnibus viis, satis loci effet, concisi prope sunt vniuersi. Hac re ex animi sententia peracta Bardas in caeteros hostium, qui in castris remanferant, ire pergit, ratus eodem impetu et hos opprimi posse; quos tamen iam in acie constitutos deprehenderat. Nihilo secius Victoria, et animis suorum vtendum existimans, confestim adgreditur. Pugnatur acriter, diu incerta manet victoria. Ut hanc parerent bini Hungari, animo et corpore ante caeteros eminentiores, dant sese in medium. Atque alter horum, concitatum calcaribus equum infestus in ipsum ducem Graiorum dirigit. Sensem rat in se iri Bardas. Procedit et ipse obuiam, ac impetum dat in aduersarium viribus praeferocientem, et deiectum, sub oculis omnium, obtruncat. Pari felicitate in alterum usus est Constantinus, frater qui fuerat Bardae. Ita hostes ex suis maxima virtute et audacia;

cedidisse conspicati, primum sensim, mox citato recedebant gradu, donec tandem prorsus terga verterent, et qua quemque fors tulit, fugerent; sed fuga quoque paucos, ex tanta multitudine seruauit. \*

Atque tot tamque aduersis belli tempestatibus conflictati Hungari lentiora, et ad quietem propiora consilia suscepserunt, pacemue cum finitimis, maiore ac olim diuturnitate, colere instuerunt; praesertim postquam Toxus e vi  
 972 vis excessit, et *Geisa*, dux miti ingenio, summae rei praeeesse coepit. Hic enim imperium adeptus, maxime contendebat suis persuadere, ut, cum laetam solo haberent regionem, agros, ut caeteri mortales, colerent, suaque aliis potius venumdarent, quam aliena vi ad se traherent, honestius labore, atque rapto viui posse; considerarent superhaec suos, patrumque suorum, a tot iam annis clades, nec minus suo, ac maiorum periculo saperent: se, nequid otia a peregrinis incommodi acciperent, canturum. Quae postquam consilia Ottoni, Imperatori Romanorum, rei christianaee flagrantissimo comperta sunt, ad pagis animum vertit, quod in spem ve  
 973 cem cum Hungaro ineundam, eo magis animum vertit, quod in spem ve  
 nerat,

\* ZONARAS Tom. II. Annal. p. 209.  
 GEORG. CEDRENVS. Ann. p. 662. sqq.  
 et LEO DIACONVS ad an. I. Zimiscis.

nerat, amicitia ante, quam armis, feram gentem, et vicinis pernoxiam demulceri, sanctiorique consuetudine ac doctrina imbui posse. Nec eum sua fessellit spes. Dux cum parte populi sacra ablutus est vinda: et factum omnino ea re est; ut nunquam alias ante publice priuatimque Hungaricum nomen Romano imperio coniunctius esset. Sed rediere breui, qua de cauffa non satis constat, Hungarorum plerique ad uitam superstitionem, atque amicitiae foederumque immemores, intestina Germanorum contentione exciti, Austriae primo finitam, tunc Boioariam, praecipue vero deuotam Patauiensi Antistiti Dioecesim, pro libidine, diripuerant. Quo minus 980 id fieret, domesticae aemulationes atque inuidiae studium obstitit: Geisa pacem, plebs, omni conatu, bellum malebat. Has inter concertationes nascitur Duci ex Sarolta uxore filius, quem Adalbertus, Episcopus Pragensis, Strigonii sacro fonte initiauit, patre in religione confirmato. Verum enimvero ne ab hoc quidem tempore Geisa prohibere potuit, quin Hungari, vel se inuito, vel imprudente in Patauios excurrenter agros, et omnia infesta facerent. Reiectis ad Comagenum a Leopoldo, Boioariorum Duce, ad populationem egressis, pax

sancitur, quae diuturnior, quam ante  
icta foedera, fuerat.\*

- 997 Post obitum Geisae *Stephanus*, quem  
paruulum, pater omni studio, ad spem ma-  
iestatis, quam animo conceperat, Papate  
doctore instituit, et moriens, adole-  
scentiae annos ingressum, proceribus de  
meliori commendavit, ad clavum rei-  
publicae prouehitur. Durum, quod faci-  
le augurari poterat, regiminis nactus ex-  
ordium.
- 998 Principio Hungaros inter ac  
Germanos acris diffensio exorta est, in  
tempore ducis consilio sopita; prohiben-  
do scilicet a seditione magis, quam vindici-  
cando. Sed nec Bohemi, tum quidem,  
videntur abstinuisse ab armis, duce Boles-  
lao, a quibus tamen male aduersum nostros  
pugnatum non dubitamus. Grauiorem  
caeteris excitauit tempestatem *Cupa*, dux  
999 Simeghiensis, frater Geisae vita functi,  
vir inquieto ingenio, et animum super-  
fortunam gerens. Is auitae superstitioni  
supra alios deditus, spreta adolescentia  
*Stephani*, praetexens non minus religio-  
nis, atque amicitiae iura, animum prius  
ad fauorem popularium conciliandum in-  
tendit, tum non paucis in suam senten-  
tiā pertractis, ad tyrannidem graffari  
occī-

---

\* CHARTVITIVS in Vita S. Stephani, A-  
LOLDVS DE PEKLARN ad an. 972. sqq.

occipiebat, inter complices accusans : Stephanum, vt Bonfinius inquit, suae gentis hostem patre perniciosem futurum : quando ex ernaे, quam suae gentis studiosior et amantior esset. Martem Herculemque, patriosque deos, quorum numinibus res Vngarica tantopere adoleuerat, aboleri iussisset, eorum sacrosancta simulacra ubique disiecisset, fatuam inducere superstitionem niteretur ; quin et otio, et desidia bellicosam gentem eneruaret, pacem indiceret aerumnosam, cum vi et bello Vngari victimum semper traxerint. Ac quibusunque aliis praeterea delinimentis potest, animos omnium sollicitat. Tanto excusatius res suas facturus videbatur, si Adelaidem, viduam Geisae, vxorem duceret, quam omni ambiebat opera. Ab hac spe deiectus : nihilo segnius augustos gerebat spiritus ; prorsus vt nihil regium ei deesse videretur, praeter regnum. Inflammabat animum multitudinis, nouam religionem exosae, mirabilis ad signa confluxus. Vesprimium, validum ea tempestate praesidium, occupandum statuit : ne sibi locus deesset, quo vel ad salutem, pro re nata, configureret, vel, unde hostem, quando vellet lacefferet. Stephanus tametsi sub initium tanti mali atrocitate perculsus, quid de rebus suis faceret, haesitabat : tamen vt pauor animo recessit, confisus cauffae et patriae caritate ductus, bellum acerrime comparare,

rare, viros, arma, commeatum curare, duces legionibus, tribunos, primipilos, centuriones turmis, cohortibus, manipulis imponere, et, ut ad diem certam, frequentes adsint, iubere. Qui ubi ad editum ducis ex maxima Hungariae parte conuenerunt, cis Danubium, e regione Strigonii, omnem lustrat exercitum, cui summa cum potestate Wencelinum ex Germania oriundum, praefecit. Cunctis, quae necessaria videbantur, rite procuratis, transito Danubio in hostem ad Vesprimium castra metantem, impigre fertur, ac ne quid raptim, vel temere ageretur, cavit praesentia. Priusquam ad teli iactum perueniretur, verbis sollemnibus vouit, si ex acie superior discesserit, decimam partem omnium fructuum prouinciae Simeghesiensis, cuius Cupa, ut ante membraui, dux erat, Abbatiae D. Martini, in monte Pannoniae, quam pater suus condere instituerat, se, ut rem sacram datum. Collata hinc sunt signa magna utriusque exercitus contentionē: et, cum hi pro causa aequitate; illi, si superarentur, equulei suppliciorumque metu acriter pugnant. Diu neutri loco cedunt, quod obstinauerant animis, aut vincere, aut mori; donec ipse Cupa se auide certamini offert.

In hunc, obuium utpote, infestus e-  
quum admisit *Wencelinus*. Concurrunt ini-  
mica

mica mente, vt appareret, animo magis, quam corpore pugnasse, nec prius distraicti sunt, quam Cupa, perduellionis poemam capite solueret. Tum demum perculta hostium inclinavit acies, dilapsi per vires et inuia, qua quemque aut consilium, aut terror tulit. In Capita seditionis bello capta, grauius animaduersum : militi, quod exemplo magis, quam voluntate peccarit, parcitum.

Secundum hanc adeo prosperam pugnam Stephanus ad negotia sacra pariter; ac ciuilia animum conuertit, quorum primum erat, vt, voti damnatus Abbatiam S. Martini in monte Pannonio, monumentum victoriae, nominisque sui relinquere; ne sera ignoraret posteritas, patrem inchoasse, perfecisse filium.\* *Astnicus* seu, vt alias vocari solet, Anastasius, primus in ea Abbatis munere functus est. Super haec dux idem, sacra per omnem prouinciam constituit, abolito profano cultu deorum, ac, vt mysteria tanto maiore religione fierent, antistites iussit, item a Pontifice Maximo contendit, quo sua eos confirmaret auctoritate. Sed id quoque postulabat, vt,

quo-

---

\* Regiis litteris donatio isthaec nonnisi anno 1001. firmata est, quas vide, praeter P. Peterffium, aliquosque, apud *Desericium Tom. V. Lib. 5. Part. 4. c. 9. p. 100.* optime exscriptas.

quoniam senatui populoque Hungarico placeret, se regem declarare, sibi coronam, donum iis temporibus viitatum, mittere ne grauaretur. Astricus solertia pecuniaque, praeter caeteros insignis, qui hanc ob rem legatus Romam misus erat; ubi Sylvestrum II. summum ea tempestate Praesulem conuenit, orationis mira elegantia, praeclera quaeque de Stephani in rem sacram studio amoreque disseruit; nec difficile impetravit, non coronam modo, destinatam quidem Boleslao, Polonorum duci, sed ammonitu coelesti eo dari prohibitam: verum praeterea etiam, quam quae petierat, crucem argenteam, regi in signum Apostolatus, dum maiores caeremoniae fierent, anteferendam. Simul ac ista apud Hungaros vulgata sunt, ingens laetitia tum proceres, tum vulgus incessit. Abiecta prolatione, dies coronando regi statuitur, qui erat Assumptioni B. V. Mariae in coelos facer. Hic postquam aduenit, Stephanus magna solemnitate, Strigoni sacro oleo inunctus, atque corona angelica redimitus, omnium ordinum tripudio REX tandem consalutatur. \*

*Soli DEO Gloria.*

---

\* CHARTVITIVS in Vita S. Stephani.  
THVROCZIVS Chron. Part. II. c. 28.  
BONFINIVS Dec. H. L. I. DESERICIVS  
in eo libro, qui *Stephanus* inscribitur.